



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

De Modis Veris, Qvibus Daemonvm molestiæ & infestationes tolluntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

lestare defierunt; quia molestare noluerunt, qui molesti esse poterunt: & non quidem defunctorum hominum Spiritus (nisi forsitan rarius) quamuis defunctorum hominum Spiritus haberentur; sed Spiritus Dæmoniorum, qui voluptatem quandam ex hoc fabarum iactu venabantur; iduq̄e *duas* potissimū ob causas.

Prima est, quòd Dei creaturis mortales abuterentur: & quas homini ad vtilitatem, & Deo ad gloriam seruire oportebat, illæ in profanos & impios Dæmonum vsus conuerterentur; dum hisce Dæmonibus quædam sacra fiunt, maximò cum Creatoris omnium contemptu. 13.

Altera est, quòd hac ratione etiam impiæ & falsæ in hominum animis vel alerentur, vel insererentur opiniones. Neque enim clam est, persuasum Gentilibus fuisse defunctorum Spiritus in *fabas* transire. ob quam causam à fabis etiam abstinendum quidam censuerunt, teste Alexandro ab Alexandro, quem superius citauimus. Quæ opinio non potuit non plurimum confirmari, quando miseris persuasum fuit, post nouies repetitam orationem Spectra, quæ molestare viuentes solent, proiectas fabas colligere, quemadmodum Ouidius testatur. 14.

NOTATIO IN SEQUENTIA

Capita.

Refutatis falsis modis, quibus loca à Spirituum infestatione liberari posse videbantur: nunc assignandi & examinandi sunt veri. Et primum illi, quibus loca per se infesta purgantur, tum quibus purgantur ea, quæ propter homines leguntur infesta. Priores duplicis sunt generis, vel enim scitur conditio Spirituum: vel ignoratur. In priori illo tres sunt discutiendi. primus est, quo Dæmoniorum Spiritus profligantur. Alter, quo ablegantur, & iuuantur boni, siue purgandi. Tertius is, quo contra damnatorum hominum Spiritus pugnatur, de primo primum.

Dd

CAP.

Varios esse modos, quibus loca à Daemonum infestatione liberantur: & modorum esse varias differentias.

1. **M**odi, quibus contra Dæmones belligatur, varij sunt, sed tamen ad quinq; præcipuos redigi possunt omnes: quorum vnus in oratione consistit: alter sanctissimæ Crucis vsu nititur: tertius Rebus consecratis: quartus Reliquiis- quintus Exorcismo; cum quo coniungimus Inuocationem nominis Christi. Quod si quidam sunt alij; vel ad hos reuocatur, vel rarius sunt in vsu. vt ille, cuius in vita Simeonis Abbatis, qui salus dictus est, fit mentio, quo ex vico quodam infesto pulsus est Diabolus cantu tibiæ, teste Leontio Episcopo Neapoleos, insulæ Cypri. Ille quoque, quo ad præsentiam sanctorum hominum iidem quandoque in fugam conuersi. quemadmodum Thefi 9. cap. 27. dictum est.
2. Magna est inter hos modos, & multiplex differentia. Prima est, quòd quidam ex his sine sermone non perficiantur; quidam sine eo consistant; quidam solius mentis sint exercitia. Primi generis est Exorcismus; secundi, Res consecratæ, Crux, atque Reliquiæ: tertij, Oratio; quamuis hæc aliquando vocalis sit.
3. Hinc altera differentia accipitur. Quidam enim cooperationem hominis requirunt, quinimò, sine hominis cooperatione non consistunt; ne dicam, quod hominis sint actio. vt Oratio, Crux, atque Exorcismus. Quidam, quamuis aliquando cum cooperatione hominis coniuncti sint, non tamen illam requirunt, vt Res consecratæ atq; Reliquiæ; quas vel suspensas esse locis certis, satis est ad spiritus abigendos.
4. Rursus quidam immediatè valent ad profligandos spiritus; alij minimè. Oratio non directè ipsos spiritus petit; sed ad Deum contendit, cuius opera à spirituum infestatione petimus liberari. At Exorcismus, Crux, Reliquiæ, Res sacræ, ipsos per se impetunt spiritus.
5. Quarta differentia est, quòd quidam per se efficaces videantur: alij omnem, quam habent, efficacitatem aliunde accipiant. Huius generis sunt Res consecratæ: quæ, si consecrationem dempseris, à rebus naturalibus nihil differunt: reliqui omnes ex se ad spiritus abigendos valent.

Huic

Huic *quinta differentia proxima est*. Quidam impetratorij tantum sunt purgationis locorum; non autem per se loca purgant; alij sunt operatorij, vt ita dicam, & per se efficaces. Prioris generis Oratio est, qua à Deo & Sanctis petitur, vt vel hi à Deo obtineant, vel ille præstet libertatem. Posterioris generis sunt reliqui, qui directè ipsos aggrediuntur Spiritus. 6.

Præterea, Quidam vnum tantum vsu habent; alij plures. Exorcismus solum locis purgandis seruit, & Spiritibus proscribendis. cæteri præter hoc alios habent fines, quemadmodum aliàs demonstratum est. 7.


Item quosdam modorum necesse est adhiberi *ipsis locis*, quæ Spiritibus infesta sunt, si Spiritus profligari debeant; quidam aliis quibuscunq; possunt; & tamen ad proscribendos Spiritus valent. Oratio vt in infestis locis fiat, necesse non est. At si Crux aliis fiat; aliis adhibeantur Exorcismi; aliis suspendantur vel ponantur Reliquiæ & Res consecratæ, quam infestis; parum promoueris. 8.

Sic quosdam expedit *ijs ipsis temporibus* adhiberi, quando iam Spiritus molesti sunt: alij possunt adhiberi aliis. illis vtilissimus est Exorcismus, in quo cum Spiritibus in certamen descenditur: Crux item præsentissimum aduersus eosdem telum: his oratio, Reliquiæ, sacræ Res. 9.

Plures inter dictos modos possunt assignari differentiæ; sed pluribus opus non est. Forsitan etiam assignatæ nimia sunt. Modos igitur singulos discutiamus & probemus. 10.

CAP. LXVI.

De Oratione, qua Demoniorum Spiritus fugantur, de quæ eius, præ reliquis bonorum operum geueribus, in hoc negotio efficacitate.

 Rationem ad Spiritus Demoniorum profligandos, & loca ab ipsorum molestia & infestatione liberanda plurimum valere, e exemplis plurimis clarum est. superius, ca. 1. nos horum duo assignauimus. Primum est presbyteri, cuius B. Augustinus meminit; qui oratione atque sacrificio Missæ domum Hesperij purgauit. Alterum Sacerdotum, qui à Moguntino Præsule, cum authoritate missi, aqua lustrali atque *comprecationibus* profligârunt pestilentem in agro Bingenfi spiritum. His addimus tertium, ex vita Beati Gregorij, cuius hortatu,

D d 2

Litanijs

Litanij, formidabile quoddam Dæmonis, quasi cornuti, Spectrū, quod certo cuidam loco ita infestum erat, vt in eo commemorari nullus posset, abactum tandem est, & expulsū. Ita in vita Gregorij refert Ioannes Diaconus libro 4. cap. 93. Addamus & quartum ex eiusdem vita, vbi (lib. 4. cap. 93.) refertur *oratione* in fugam conuersum Nequam Spiritum, qui in forma cati Religioso viro haud parum fuit molestus. Pluribus opus non est. Quotiescunq; ferè vel Cruce, vel Exorcismis Dæmones profligati sunt, suas etiā partes agit *Oratio*: qua sine nec Crux, nec Exorcismus à fidelibus adhibita videntur.

2. His alia quædam adiungimus, quæ eiusdem orationis, aduersus Dæmones vim egregiè declarant: Fortunati inquam Tudertinæ Ecclesiæ Episcopi; quem *oratione* Dæmones ex hominum corporibus eicere solitum lib. 1. Dialog. cap. 10. scribit B. Gregorius. & D. Bernardi; qui continua vnus noctis *oratione* Cremonæ Dæmonem profligauit, vt in eius vita habet Bernardus Bonquallensis. Et B. Hilarionis; qui in Cypro Insula, à misera Dæmonum vexatione, *oratione* ad Deum facta, ducentos propemodum, partim viros, partim mulieres, eripuit; teste B. Hieronymo in eius vita.

3. Verū nec si hæc atque his similia exempla desiderarentur, de assertione dubium animū licebit habere; propter tria, quæ Sacræ literæ insignia suppeditant argumenta. Primum petitur ex promissione orationi facta: alterum ex vi orationis, ipsiusque effectibus, quos admodum habet excellentes. tertium ex Domini fermone, qui orationem plurimū in Dæmonibus profligandis docet valere.

4. Primum tanto firmiter est, quod promissio orationi ab illis facta, qui quod promisit, & potest præstare. quia omnipotēs est: & debet præstare, quia fidelis est: & volet præstare, quia benignus est, atque misericors, ab illo, inquam, in cuius scemore scriptū, *Rex Regum, & Dominus dominantium*, Apoc. 19. *Cui data omnis potestas in celo, & in terra*; Mar. 16. *qui (q̄ ad propositum nostrum facit) habet clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, vt loquitur sanctissimus Ioan. & apprehendere potest Draconem, serpentem antiquum, eumq; ligare & mittere in abyssum, & claudere atque signare*, Apoc. 20.

5. Sed quæ promissio? quæ? Primum ipse docet voti compotes futuros, qui se ad Deum per orationem conuertunt. *Petite*, inquit, & dabitur vobis. Matth. 7. Deinde dictis suis in eadem re iuramenti contestatione fidem facit: *Amen*, inquiens, *dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ioannis 16. Nec hoc contentus, multis

multis rationibus ad certam nobis spem faciendam vtitur. *Quis*, inquit, *ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentem dabit ei? Si ergo vos, cum sitis mali nobis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester, qui in Cœlis est, dabit bona petentibus se* Luce 11.

Alterum argumentum ab *Orationibus effectibus* petitur. Tales *o-* 6.
*rati*oni tribuuntur, ut omnino ex ipsis concludi possit, *Oratione*, loca, à quacunque, quorumcunq; spirituum, infestatione purgari. Qualia enim sunt corporis languores sanare? fluxam & caducam hanc vitam prorogare? pacem & tranquillitatem conciliare? ab hostibus & inimicis liberare? victoriam impetrare? soli vbertatem, & pluuiam obtinere? Atqui hæc omnia *Oratione* perfecta sunt. *Infirmatur quis in vobis*, inquit S. Iacobus, capite 5. *inducatur Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum. Et corporis sanitas.* Orauit Dominum Ezechias (Isaia 38.) *Obsecro*, inquit, *Domine &c.* & sequitur: *audiui Orationem tuam: ecce adijciam super dies tuos, quindecim annos.* En prorogatio vite. *Obsecro*, ait apostolus 1. Timoth. 2 *primum omnium orationes fieri, pro omnibus, ut quietam & tranquillam vitam habeamus.* En pax. *Audiui Orationem tuam*, loquitur Deus Ezechie (Isaia 38.) *& de manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* En ab hostibus libertas. *Cum Moyses leuaret manus*, dicitur Exod. 17. *vincebat Israel.* En victoria. *Multum valet oratio iusti assidua.* Elias homo erat, *similis nobis, passibilis.* & *Oratione orauit*, inquit S. Iacobus (capite 5) *ut non plueret super terram; et non pluit, annos tres, & menses sex. Et rursus orauit, & calum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* En vbertas soli, & pluuiam. Quid multis? *Oratio* parit sapientiam & intellectum. Iacobi 1. *sterili utero fecunditatem impertit: Genesis 15. eruit à probro, & morte; Daniel 13. placat iratum Deum: Exod. 32. Cœlum & Paradisum aperit: Luce 23. Denique nihil ita arduum, nihil tam difficile; quod per Orationem, aut factum non sit, aut certè fieri non possit. Hæc fieri oratione potuerunt: non poterunt profligari Spiritus Dæmoniorum?*

Quòd verò plurimum valeat ad *Dæmones abigendos, & ex-* 7.
igendos, hæc Domini docet oratio: *Hoc genus Dæmoniorum non eijctur nisi Oratione & ieiunio*, Matthæi 17. Quid hæc apertius? quid disertius dici potest? quid accommodatius ad rem præsentem afferre?

De vero enim Dæmonio erat Domini sermo. Illud Apostoli 8.
eijcere nequibant. eiecerat Dominus, ad preces parentes filij, qui

torquebatur. Apostolis seiscitantibus, cur non potuerint eiicere, qui & facultatem eiiciendi acceperunt; & Dæmonia, iam multa eiicissent, respondetur: *Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & Oratione.*

9. Sic de vera Oratione Dominus loqui intelligendus est. Hoc primò ipsa vox, *oratio*, insinuat, quæ per se sumpta, non nisi mentis in Deum eleuationem significat, tum inde manifestum est, quod multus in *Oratione* fuerit Dominus: (Lucæ 6.) & idcirco Dæmonium eiicere potuerit: Apostoli, qui minus in *oratione* fuerunt frequentes (quemadmodum de ipsis, Domino obiiciebant Pharisæi, Lucæ 5.) eiicere nequibant.

10. Verum enim uerò in quo nos maximum præsidium ponimus, leue fortè quidam, in nostra causa, existimant: propterea quod non de Dæmonibus *ex locis* exigendis, sed *ex corporibus humanis* expellendis, Dominus loquatur. Deinde quod *certum* quoddam Dæmoniorum genus nominet, quod *Oratione* pellatur: ut ob id *Oratio communis quædam machina*, contra omnes Spiritus dici non debeat. Accedit tertium, quod non minus præsidij in *Ieiunio* ponat, quàm *oratione* (vtrunque enim coniungit) ut idcirco vel dici debeat æquè, *orationem & Ieiunium* valere ad Dæmones locis profligandos; vel non valere *orationem*.

11. Triab his tribus argumentis quæruntur; ad quæ, ubi breuiter responsum fuerit, Caput concludemus. Primum est, An Domini sententia demonstrari possit, Dæmones *non ex hominibus tantum, verùm etiam locis infestis* oratione proscribi. Secundum, An *oratio* ad omnes Spiritus profligandos valeat; an ad aliquos tantum. Tertium, cur *potius orationi* tribuamus exilium atque proscriptionem Spirituum Dæmoniorum, quàm *Ieiunio*; cum orationi Dominus *Ieiunium* coniunxerit, & vtriusq; pares esse vires insinuet,

12. Potestne igitur Domini sententia doceri, etiam locis, & non tantum hominibus per *Orationem* proscribi Dæmones? *Potest omnino*. quamuis enim de solo hominem inhabitante Dæmonio sermo sit; alia tamen, quæ loca infestant, non excludit. Hoc primùm inde clarum est, quod *Oratione* docuerit, *omnia* obtineri possit: tum deinde ex illo, quod non ita locis, quæ infesta reddunt; sicut hominibus, quos obsident, videantur coniuncta atq; vnita, ut idcirco difficilius multò homines, quàm loca relinquunt. deniq; propterea, quod etiam in hominibus sint, veluti in quibusdam locis; ut ob id, si doceatur, *oratione ex hominibus eiici*, hoc ipso demonstratum sit, *oratione locis pelli posse.*

Sic

Sic ad omnes Dæmoniorum Spiritus profligandos valet oratio. 13.
 Esto vnus generis Dominus meminerit: sed illud tale fuit, vt cætera omnia oratione in fugam conuerti, certum sit, si demonstratum sit hoc oratione pelli. Quomodo verò? quia quod oratione docetur profligari, cæteris omnibus onerosius est, & difficilium. Eiciebant passim Discipuli Christi Spiritus verbo, & nomine Domini inuocato: verum ad hoc Dæmonium nomen Domini inuocatum non sufficiebat: aliæ pro hoc expugnando erant necessariæ machine, Oratio atq; Ieiunium Nunc hinc argumetur. Si quod difficillimè pellitur Dæmonium, oratione pelli potest; poterit pelli quodcunq; cuius vires sunt inferiores. At pellitur oratione, quod difficillimè pellitur. Poterit igitur quodcunq; aliud Dæmoniorum genus.

Cur verò orationi, non Ieiunio Spirituum profligationem tribuimus? (Ad hoc plurima essent dicenda. Nos pro instituti, & lociratione, multa paucis. Primum est. Ieiunij hinc etiam vires magnas esse. Alterum non Ieiunium tantum, sed & Eleemosynas, & alia pietatis Christianæ exercitia posse permultum. Tertium, hæc per se ad Dæmones profligandos non valere. Quartum per se valere orationem. Quintum, orationi potissimum tribuisse Dæmonum eiectionem Dominum. Sextum adiunxisse Ieiunium, quod hoc, vt mens ad Deum per orationem veniat, efficiat. 14.

Primum insinuat declarant, quæ pro Ieiunij commendatione, 15.
 partim à sacris literis, partim in sanctis Patribus, reperiuntur. docent enim peccata ne committantur, impedire: commissa expiare: ad paradysum, vnde propter violatum Ieiunium, expulsi fueramus, reditum præstare: mentem ad Deum eleuare: pro merita supplicia redimere: inpendentes clades arcere: magna Dei beneficia impetrare: sanitati demum vtriusque hominis plurimum conferre. Omnia hæc breui oratione complexus B. Hieronymus, Epist. ad Eustochium: *Medicinale Ieiunium, inquit, omnem auferit languorem, & omnem tribuit virtutem & gratiam.* Cæterum vim eius aduersus Dæmones disertè exprimit Athanasius lib. de Virginitate *Quisquis, inquit, immundo Spiritu vexatur, certum habere debet, Spiritus malos Ieiunio afflictos abscedere, vim Ieiunij metuentes.*

Sic de Eleemosyna præstantia dubium nullum est. Et hanc agnoscit, 16.
 qui in sacris literis mediocriter est versatus. Docet Tobias (cap. 4.) *Eleemosynam à monte liberare: peccata purgare; & non pati animam iræ in tenebras.* Idem Regius Propheta, Psal. 40. *Beatus, inquit, vir, qui intelligit super egenum & pauperem; indie mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruabit eum, & vitificabit eum, & non tradet eum in animam inimicorū eius.* Docet Saluator ad cælestis gloriæ præmi-

um, per Eleemosynam perueniri: *Facite*, inquit, (Lucæ 16.) *vobis amicos de mammon iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in aterna tabernacula.* Docet Salomon, præter hæc, etiam promouere bona externa, & fortunæ casibus obiecta. Notum est illud Proverb. 28. *Quid dat pauperi, non indigebit.*

17. *Nec parua sunt vires quorumcumq; pietatis Christianæ exercitiorum. Pietas*, inquit Apostolus (1. Timoth. 4.) *ad omnia utilis est.* Et Salomon (Sapient. 3.) *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Non ignorarunt has Ezechias Rex, atque item sanctissimus Paulus: vnde ille in extremo vitæ periculo constitutus, ausus est dicere: *Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & corde perfecto,* (4. Reg. 20.) Hic verò: *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die. iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* 2. Timoth. 4.

18. *Quod verò tertio loco dicebamus, opera hæc ad demones profligandos instituta non esse, nec per se ed tendere, dubium non est.* Ieiunium corporis afflictioni seruit, & vt Spiritui caro subiciatur, institutum est: Eleemosyna ad proximi miseriam subleuandam facit. Reliqua pietatis exercitia ad futuræ vitæ gaudia obtinenda conferunt. At *Oratio per se valet ad profligandos Demones.* Ipsam generale quoddam mortalium voluit esse præsidium Deus Opt. Max. ad omnia omnino bona obtinenda: ad omnia omnino mala propulsanda, etiam immundorum Spirituum molestias: quem admodum, quam Dominus orandi formam reliquit, quæque ab ipso, quod *Dominica* dicatur, nomen obtinuit, egregiè demonstrat & explicat.

19. *Quòd Orationi potissimum Dominus Demonum eiectionem tribuat,* multis hoc loco ostendit doctissimus Tostatus Abulensis. Nec de hoc dubitat, qui & *Orationis vires agnoscit: & quid ieiunium orationi coniunctum efficiat, attendit.*

20. *Denique Orationem Ieiunio iuuari cui dubium?* Nonne duæ eius alæ? altera, qua cælum conscendit, & ad Dei conspectum peruenit; altera, qua à Deo, quod postulat, obtinet? Et ad illud iuuat Ieiunium: ad hoc Eleemosyna. Vt optimè dixisse credendum sit B. Chrysostomum, quando hom. 71. ad Populum, *orantem leuem vocat & alatum.*

21. *Sed tamen Eleemosyna Dominus non meminit; nec aliorum pietatis operum: propterea; quod non ita cum Oratione coniuncta sint, nec tanta ipsorum ad bene orandum necessitas; quanta Ieiunij. omnino ne-*

no necesse est, vt per orationem mens in Deum eleuetur; ad quod iuuat Ieiunium: vt verò, quod petit, obtineat (ad quod profunt pietatis opera) necesse non est.

CAP. LXVII.

De reliquiarum vsu in profligandis Dæmonibus, quas que ob causas Dæmones Reliquias non sustineant.

Nam omnium propemodum tam Catholicorum, quam Hæreticorum sententia est, Dæmones Reliquias Sanctorum fugere. Ex Hæreticis, post alios, hoc admittunt Magdeburgenses Centuria 4 cap. 13. col. 1446. Pro Catholicis sunt Hieronymus & Chrysostomus: Hieronymus lib. contra Vigilantium: Tu, inquit, (Dæmonem alloquitur, qui per os Vigilantij Reliquias Sanctorum vilissimum puluerem appellauerat) *sape vilissimo hoc tortus es puluere.* Chrysostomus docet eos fugere, quemadmodum fures, qui fugam capessunt, si quando in suppellectilem incidunt regiam. Verba eius hæc sunt, homilia septima, de septem Machab. *Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè, dum pradas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arana vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi pradarum, tamen agnitis Regis insignibus deterrantur, vt fugiant, nec comminus accedere, vel attingere audeant: ita profecto & Dæmones, qui verè & latronum principes sunt, & Magistri; vbi coronatorum Martyrum viderint corpora posita, longè illic à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt.*

Nec temerè tam hi, quam illi, in hanc opinionem venerunt. Exempla pro hac re tot sunt, & tam clara; vt omnino in luce meridiana cæcutire dicendus sit, qui hæc velit negare: neque primis tantum illa sunt temporibus data; sed nostris quoq;: & non ab iis conscripta, quorum fides suspecta fit; sed iis, de quorum fide dubitare parum honestum.

Ex multis aliquot produximus Disputatione de Dæmoniacis. hic contenti simus *semicinctijs & sudarijs* D. Pauli; de quibus S. Lucas cap. 19. historix Apostolorum, in hunc modum: *Virtutes non quasi libet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia; & recedebant ab ijs languores, & spiritus Nequam egrediebantur.* Addimus sequens ex Theodoro, ipsius Theodoretii verbis: quod quemadmodum argumentum nostrum confirmat, ita pluribus locis, in hac Disputatione potest seruire. *Execrandus, inquit, Marcio, multas*

E c

spinas

spinas impietatis seminavit in Regione Vrbis Cyri. Eas cum conaret euellere radicitus, noctu venit quidam Demon exiit illis, clamans, & lingua vtens Cyriaca: Cur, inquit, tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam aduersus eum suscipis? Quanam is te vnquam affecit molestia? Desine beligerare: desine à m. leuolentia: aut discas experientia, quantum bonum sit quies. Scias, quod te iam pridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem, cum Iacobo. Hec ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat: Audis, inquam, que dicuntur? Ille verd. Omnia, inquit, audiui. & cum vellem surgere, & respicere, & scire quis loqueretur, tua causa quieui; quate putarem qui scere. Ambo itaque surgentes, respeximus, neque vllum, qui moueretur, vidimus; nec qui loqueretur, audiuimus. Illi verba alij quoque, qui nobiscum habitabant, audiuerunt. Intellexi igitur, quod Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum, qui cum à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus; qui quouis claustro adamantino fuit mihi validior. Ita Theodoretus hist. Sanct. Patrum, cap. 21. & ex ipso Cæsar Baronius Tomo 5. hist. Eccles. circa annum Domini 424. Sed illustrius exemplum refert Beda lib. 3. Hist. Anglorum, cap. 11. quod quia etiam pluribus locis huic Disputationi potest seruire, etiam ipsius verbis ascribimus: Monasterium nobile fuit in prouincia Lindisi, nomine Beardanum. Huc quodam tempore hospes venit, qui solebat nocturnis sapius horis repente ab immundo Spiritu grauissimè vexari. Cum igitur benignè susceptus post cœnam in lecto membra posuisset; subito à Diabolo arreptus, inclamare, dentibus frendere, spumare, & diuersis motibus cœpit membra torquere. Cumq; à nullo vel teneri, vel ligari potuisset; cucurrit Minister, & pulsans ad ostium nuntiavit Abbatissa. At illa aperiens ianuam, exiuit cum vna Sanctimonialium fœminarum ad locum virorum: & euocans Presbyterum, rogauit secum venire ad patientem. Vbi cum venientes, viderent multos affuisse, qui vexatum tenere, & motus eius insanos comprimere conati, nequaquam valebant; dicebat Presbyter Exorcismum; & quacunque poterat, profedando miseri fur ore agebat. Sed nec ipse, quamuis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cum uero nihil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem Abbatissa puluis ille præfatus (intellige cineres S. Osualdi Martyris) statimq; iussit ira ministram, & capsellam, in qua erat, adducere. Et cum illa asserens intrasset atrium domus, in cuius interioribus Damniosus torquebatur, conticuit ille subito, intentiq; ora tenebant reliqui, quem res exitum haberet sollicitè expectantes. Et post aliquantum hora spacium resedit qui vexabatur, & grauiter suspirans: Modò, inquit, sanum sapio. recepi enim sensum.

fersum animi mei. At illi sedulo sciscitabantur; Quomodo hoc contigisset. quibus ille: Mox ut virgo hæc cum capsella, quam portabat, appropinquavit atrio domus huius, discesserunt omnes, qui me premebant, Spiritus maligni & me relicto nusquam comparuerunt Hætenus Beda. Habet quoque hic locum quod de peste inguinaria a ciuitate Treuirensi depulsa scribit Gregorius Turonensis in libello vitæ s. Nicetij. verba eius hæc sunt. Cum lues inguinaria Treuericum populum in circuitu ciuitatis valde vastaret, & sacerdos Dei (Nicetius) pro ouibus commissis Dei misericordiam imploraret assidue: factus est sonus de nocte magnus tanquam tonitruum validum super pontem amnis, ita ut putaretur, vibs ipsa absorberi. Cumq; omnis populus exterritus in lectulis resedisset, latifexum sibi interitum operiens, audita est in medio vox vna ceteris clarior dicens: Et quid hic o socij faciemus. Ad vnam enim portam Eucharisus se erd: obseruari ad alteram Maximinus excubat: in medio versatur Nicetius: Nil hic vitra prauatere possumus, nisi sinamus hanc vibem eorum tutoni. Hac audita voce statim morbus quieuit, nullusq; ab eo vlt: a defunctus est. Quæ autem & quanta hæc pestis inguinaria fuerit, docet Paulus Diaconus. Vide Baronij Tom. 7. fol. 502.

Verum quamuis in hoc aduersarij nobiscum consentiant, negant tamen *Reliquias* ad Dæmones profligandos adhiberi posse; quod constantissimè admittunt, agnoscunt, & confitentur Catholici. Hinc illi *Reliquias* proferunt, abiiciunt, Vulcano tradunt, in cineres redigunt, & ut omnino extra omnem mortalium sint conspectum, procurant. Hi easdem studiosè conquirunt, diligenter conseruant, religiose venerantur, & magno habent in honore.

Si ab illis causam suæ opinionis & facti scisciteris, respondet vsum *Reliquiarum*, qui in Dæmonibus profligandis positus est, superstitiosum esse, & cum summa Creatoris contumelia coniunctum Quocirca docent non idcirco Dæmones *Reliquias* non sustinere; quod illas oderint, detestentur & fugere cogantur, sed ut fuga homines ad *Reliquiarum* cultum, & impiam superstitionem inuident. Fingunt, inquit, fugam; non coguntur fugere, nec fugiunt inuiti.

Contraria Catholici ratione ad contrariam opinionem, & factum inducuntur. Credunt Dæmones non fugam fingere, sed fugere coactos: *Reliquiarum* eam vim esse & potestatem, ut in ipsarum præsentia nequeant consistere versipelles Spiritus.

Et profectò, quamdiu in ea cogitatione atque sententia hærent Aduersarij; ut credant superstitiosum esse *Reliquiarum* vsum,

Reliquijs ad Dæmones profligandos ut nec possunt, nec debent: quamuis etiam certum esset, usu Reliquiarum ipsos à maximis Dæmonum posse liberari molestiis; & aliter liberari non posse: propterea, quòd *Omne quod ex fide non est, peccatū sit; & Omne, quod contra cōscientiā est, adificet ad gehennam*; peccatum autem ob nullius, vel boni consecutionem, vel mali depulsionem permissum sit.

8. Sed ut hunc errorem deponant cæci: intelligant etiam, quàm procul à superstitionis crimine absint Catholici, duo demonstranda sunt. Primum, *Reliquias reuera molestas esse Dæmonibus, eosdemq; torquere, ut ob id ipsos non fugam fingere, sed coactos fugere credendum sit. Deinde dici non posse, Dæmones, fuga sua, ad Reliquiarum cultum homines allicere; quamuis etiam reuera (quod tamen falsum est) non torquerent. Vbi hæc duo in gratiam Aduersariorum demonstrata fuerint, nostra prosequemur.*

9. *Torqueri ad Reliquiarum presentiam Dæmones, primò diserta Patrum sanctissimorum hominum sententia est. Vnius nobis sufficit auctoritas Chrysostomi, Reliquia Sanctorū, inquit ille (homil. 66. ad Populum Antiochenum) Dæmones sistunt & torquent: & vinctos ab illis soluant sauisimīs vinculis. Et libro contra Gentiles, de vita S. Babilæ, Antiocheni Episcopi & martyris; Ea, inquit, est Sāctorū potestas, ut illorum superstitum Dæmones, ne Vmbrae quidem, aut Vestes; vita autem defunctorū, & Loculos quoq; reformidēt. Rursus, Sermone in adorationem catenarum S. Petri: Has Catenas, inquit, potentiarum, qua ab ipso defecerunt, Princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret & multo cum timore illas subterfugiens, comprimitur. Has aërea Spirituum multitudo metuens ac tremens, iaculisq; inde emissis percussa, longius profugatur, &c.*

10. Deinde, idem, ut cætera omittam, docent Reliquie S. Babilæ Martyris. Nonne ob eius sepulchri viciniam, oraculum Apollinis filuit? Nonne ut loquelam Idolum reciperet, arcam Martyris remoueri iussit Apostata Iulianus? Volunt Centuriatores Diabolum de industria simulasse se impediri à Martyre; ut usum Reliquiarum scilicet venerationis induceret: sed quam id præter omnem rationem dicant, sequens miraculum clarè ostendit: quod, vix arca Martyris abducta, ignis de cælo descēdens, Idolum, vnde Diabolus oracula reddebat, totum consumpserit. Vide Bellar. tom. 1. Cont. vltima lib. 2. cap. 2. Vetus hoc exemplum est, quod produximus. Recens est illud Thomæ Fazelli libro 10. prioris Decadis Rerum Sicularum. cui tanquam oculato testi fidem meritò adhiberi licet. Est, inquit, *Agyra, D. Philippi* (Petri Apostolorum principis hic discipulus fuit, Siculis ab eodem ad Christi Euangelium predica

predica

quibus *viuis* graues iniurias sustinuerunt. Plerique omnes in mortuis vlciscuntur, quorum viuorum sustinuerunt potentiam: Ac quanta quidam Dæmonum à Sanctis viuentibus passi? Et quod vix optimus aliquis; harum iniuriarum ipsi nequissimi nequam obliti, mortuos non detestabuntur? non odio prosequentur? non cum molestia sustinebunt?

15. Dubium non est tortos esse *Christi* præsentia Diabolos. ipsorum in promptu est confessio. *Venisti*, inquit quidam illorum, *ante tempus torquere nos*. Matth. 8. Verùm cur de tortura conquirentur? quia scilicet, verebantur, ne *sedibus suis* pellerentur. Quàm porrò debuit Dominus torsisse iam eiectos. quando solus timor, quòd eiiciendi essent, torsit? At plurimi Sanctorum, Dæmones locis suis, & *sedibus* eiecerunt. Non igitur non possunt iis graues & molesti esse Sancti.

16. Hinc clarum est ineptè dici *Dæmones fugam simulare*: ad fugam nulla vi cogi. Si torquent Sanctorum *Reliquiæ*; si molestæ sunt & inuisæ: quomodo Spiritus fugam ad ipsarum præsentiam simulant? quomodo non fugere coguntur? Nonne ab iis, qui molesti esse solent, si possumus, quàm citissimè nos expeditimus? Nonne apud ipsos summa cum difficultate retinemur?

17. Sed ad alterum caput, doceamus dici non posse *Dæmones ad Reliquiarum cultum fuga sua inuitare atque allicere mortales*. Hoc verò ex illo certum est, quòd cultus *Reliquiarum* in earum rerum genere sit: quæ per se bonæ sunt: Dæmonum autem hoc ingenium, vt ad bonum inuitent neminem. Quid enim hîc dubium? quid non certum?

18. Clarius propositum nostrum ostendunt partim *mala*, quæ *Reliquiarum* intuitu mortales declinant; partim *bona* quæ cum *Reliquiarum* cultu coniuncta sunt. Ab illis enim Spiritus Nequam non possunt auocare mortales. Ad hæc non possunt inuitare, sed quæ *mala* declinantur?

19. Mala hæc plurima sunt. Nos summa capita referimus. Est *superbia*; quæ hoc nomine mortalibus displicere incipit, quod etiam corpora atque cineres eorum in honore habeantur, qui hostes *superbiæ*, & *humilitatis* studiosi sectatores fuerunt. Et *amor congerendi diuitias*; quas intelligunt iis contemnendas, qui arduum atque difficile ad cælum iter ingrediuntur. Est *luxuria*: cuius illecebras tâto magis detestantur, quanto maiori in honore sunt, non apud Deū solū, verū etiā homines; qui corpora sua mortificauerūt
propter

propter Deū. Est *Irasci* cuius non possunt nō frangere impetus, quando in memoriā venit (venit autem ad *Reliquiarum* intuitum) summa sanctorum mansuetudo. qui etiam pro persecutoribus suis Deo supplicarunt. Est *Gula*; a qua sibi cauendum censent ipsorum exemplo, quorum cum pignora vident, has voces audire videntur: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Est *Inuidia*; quam detestantur recordatione charitatis, quæ in iis flagrauit, quorum coram intuentur & venerantur *Reliquiis*. Est *Acedia*; quam canes peius & angue putant fugiendam, si ad cælum peruenire cupiunt, exemplo eorum, quibus vnum hoc præcipuum fuit studium, vt cum Deo essent quàm sæpissimè, sedula & ardenti oratione, rerumq; diuinarum contemplatione.

Sed non ad mala solùm declinanda *Reliquiarum* cultu vrgentur mortales; etiam inuitantur ad facienda bona. Quæ verò? Ad omnium propemodum virtutum exempla. Quarum quæso? Ad contemptum diuitiarum; quas *Reliquiarum* honori potius, quàm sibi seruire volunt. Ad afflictiones corporum; quibus nunc susceptis peregrinationibus, nunc abstinencia & ieiunio, nunc aliis rationibus vis infertur. Ad humilitatem; cuius maxima indicia ad Sanctorum sepulchra & *Reliquias* exhibentur. Ad castitatem; quæ sæpe hoc nomine suscipitur, quia illorum *Reliquia* in honore habentur, qui ob castitatem Deo placuerunt. Ad orationis studium; quæ ad Sanctorum *Reliquias* propemodum est continua, omitto breuitatis studio reliquas.

Hæc cum *Reliquiarum* cultu coniuncta. An hæc proposita sunt *Dæmonibus* in *Reliquiarum* fuga, quam dissimulare dicuntur? Quærent Nequam, vt castra vitiorum deferant, & ad virtutum arces confugiant mortales? id est, sua castra relinquunt, & ad hostium, id est, Dei, properent?

Non quærent hoc nequissimi. Placet ipsis *Superbia*; omnium vitiorum mater & origo. Placet *Auaritia*; qua plurimos illaqueant. Placet *Luxuria*; quam in omni ætate, cuiuslibet improbitatis, & turpitudinis nouerunt esse escam. Placet *Ira*; vt quæ homines sensibus integris, vt B. Chrysostomus loquitur, (homilia 18. in Matt.) facit insanire. Placet *Gula*; quæ eodem Chrysostomo authore (homil. 58.) homines efficit sues, imò ipsis suis deteriores. Placet *Inuidia*, quæ fraternæ charitatis apertissimè iura violat.

Et qui miseros mortales cupiunt in vitiis excellere, illis fortè placebunt virtutum exercitia? placebit iis contemptus diuitiarum; qui diuitiarum laqueis omnes cupiunt inuolutos? Afflictio

corpo-

corporis; qui mox conditum hominem ad corporis oblectamenta inuitarunt? Humilitas; qui ob nimiam superbiam de caelo deiecti fuerunt? Castitas; qui locis delectatur humidis, & virtutem habent in vmbilico & renibus? Studium orationis; qui iuracissimi illius sunt hostes, ad quem oratio dirigitur?

24. Forsitan negantur virtutum exercitia esse, quæ diximus; propterea, quod *ex fine*, qui in ipsis propositus est malus, vitium contrahant omnia. Ea siquidem finis mali conditio est, vt cum ad opera accedit, etiam si præstantissima inueniat, deprauet ipsa atq; corrumpat. Sed hoc examinemus.

25. Primum omnium, quod obiicitur, in omnibus locum non habet. Non hoc propositum est in *vitiorum* fuga. finis qui opus deprauet, oportet opus accedat: at sine opere est vitiorum fuga. Vel igitur ob hoc Demones fugam dissimulare non debent; quod multa mala, quæ alioquin committerentur, omittuntur.

26. Deinde, dicendum non est, opera omnia, quæ fiunt, à fine deprauari. Cum enim ipsa ex se bona sint, si deprauantur, non ipsis insito fine deprauantur; sed alio aliquo, qui ex agentium voluntate accedit at quis vnquam ex iis, qui *Reliquias* in honore habuerunt, aliud sibi propositum fuisse dicat, quam Dei atq; Sanctorum honorem? Vtrum verò hic malum? Dei an Sanctorum? Num vtrisque; suus honos debetur?

27. Tribuitur fortassis Dei honor Sanctis. Et hoc quis cogitauit? quis dixit? quis scripsit? quis fecit? *In finis* partibus honor, qui Sanctis tribuitur, inferior est illo, qui debetur & tribuitur Deo. Deum vt boni omnis authorem & consummatorem honoramus; Sanctos vt Dei amicos, nostrosque apud Deum patronos & intercessores.

28. Sed nimium excrescit oratio. Nimis multa cum Aduersariis. Nostra repetamus. Igitur, cum certum sit, non simulare fugam Dæmones, sed inuitos fugere, & *Reliquias* non sustinere; *causam*, cur fugiant, inquiramus: Quæ igitur illa? An Deus; qui ipsos cogit ad præsentiam *Reliquiarum* fugere? An Sancti, quorum *Reliquia* habentur, in fugam conuertant? An ipsis *Reliquijs* vis illa insita est, vt locis atque hominibus nequam spiritus pellant? An homines sunt; qui vt aliis rebus, ita adhibitis Reliquijs, eosdem proferibunt? An denique horum nihil, sed ipsi *Dæmones* sunt, qui quamuis nullam à *Reliquijs* vim patiantur, ipsas tamen sustinere ex odio nequeant.

29. Quinq; hinc modos insinuamus, quibus *Reliquijs* Spiritus pel-
li, po.

li, potest intelligi: quem, vel quos probemus, inquirendum est, antequam Caput concludamus.

Deum ad Sanctorum Reliquias Damonibus exilium, aut fugam impetrare posse extra controuersiam est. Quid non potest Deus, cuius nomen omnipotens? Exodi 15. Dubium item nullum, frequenter impetrauissse, quando difficiles Nequam Spiritus esse potuerunt: & ipse hac ratione Sanctorum suorum voluit gloriam illustrare, & mundo innotescere. Veruntamen non solo hoc nomine, neque semper hoc, *Dæmones fugam capessere credendi sunt.* Potest Deus *Dæmonibus discessum & fugam non imperare, & tamen ipsos ad fugam cogi certum est.* 30.

Sanctos, quorum Reliquia habentur, propriè Dæmones fugare dici non debet. quoniam, vt ipsi per se miracula non perpetrant; ita neque *Dæmones* in fugam per se conuertunt. magna fuit ipsorum in *Dæmones* potestas, quamdiu communem nobiscum in terra vitam egerunt: mortui iam, & cum Christo in Cælo regnantes in *Dæmones* per se possunt nihil. Si quid possunt, possunt oratione, quemadmodum reliqua, ita *Dæmonum* fugam impetrare. 31.

Reliquijs potestas aliqua, qua in Dæmones agat, eosq; sedibus pellat, non inest. Si inest, qualis quæso illa est? Spirituales, an corporea? Spirituales in re corporea, vt *Reliquia* sunt, inesse non potest. Corporea ad Spiritus profligandos, quales sunt *Dæmones*, nihil facit. 32.

Suntne igitur *homines*, qui quemadmodum rebus alijs, ita adhibitis *Reliquijs* *Dæmones* proscribunt? Sunt utique. quoniam penes *homines* hanc potestatem futuram, disertè Christi probat oratio. Marci ultimo &c. vt ergo illi *Dæmones* in fugam conuertunt vsu nominis Iesu; ita vsu *Reliquiarum*, vsu Rerum aliarum. 33.


Sed præter hanc, alia ratio est, quam quinto loco insinuamus, 14. quod *Reliquias* etiam per se ferre nequeunt Spiritus; ita, vt quamuis *homines* aduersus *Dæmones* *Reliquiis* se non arment, & his armis instructi eos non impugnent: si tamen ipsas alicubi Nequam Spiritus deprehendant vel obseruent, mox fugam capessant. hoc pulchrè B. Chryostomus similitudine ostendit, quam initio huius Capitis attulimus.

Duobus igitur modis ad profligandos *Dæmones* *Reliquia* faciunt. primò per se, secundò ex vsu eas *Dæmonibus* adhibentium. In priori modo simplex est ratio, cur fugiant; in posteriori duplex siue bipartita. Ibi per se fugere dici possunt, ob odium, quo

erga *Reliquias* flagrant, maximum: hic præterea compelli exorcizantium autoritate. Ibi *Reliquie* veluti obiecta quædam *Dæmones* mouent, vt fugam incant: hic sunt quædam quasi instrumentales causæ, quibus Exorcistæ (quibus diuinitus in Spiritus hesollata potestas) vtuntur.

CAP. LXVIII.

De Crucis aduersus Dæmones efficaci usu: Et quod hic nullam sapiat superstitionem.

1.  Veniam modum de Reliquiis communis est, tam Catholicorum, quàm Hæreticorum, sententia, quod ad profligandos Dæmones valeant; sic communis consensus de *Cruce*. Ex Hæreticis inter alios ita sentit Brentius, teste Alano, Dialogorum lib. 4. cap. 3. Ex Catholicis omnes omnino: vt non sine causa in Prouerbiis abierit, *Dæmones fugere Crucem*.
2. Iisdem etiam rationibus vtrique inducti sunt; multitudine scilicet exemplorum, quæ omnis ætas suppeditat. Nos aliàs duplicis generis protulimus, quorum quædam ostendunt *Cruce* ex hominibus Dæmones esse exactos, quædam aliis locis profligatos. Vide Disput. de Dæmoniis.
3. Prioris generis sunt, quod Gregorius Lingonicus Episcopus ex Energumenis ad se adductis, signo crucis iusserit Dæmonia discedere; vt loquitur Gregorius Turonensis in vita Patrum. quod eodem signo, eadem à muliere exegerit Albinus Andegauensis Episcopus, quemadmodum testatur Vincentius lib. 23. cap. 143. quod idem præstiterit Iosephus quidam nondum Christianus; vt habet Epiphanius Hæresi 30.
4. Pro posterioribus seruit Gregorius Neocæsariensis; quam sæpe contra Dæmones his armis depugnasse testatur Gregorius Nyssenus; in vita eius B. Antonius; qui hoc armorum genere omnibus Dæmonibus fuit terribilis. S. Margareta; quæ *Cruce* Dæmonem in forma Draconis sibi appropinquantem profligauit, teste Metaphraste in eius vita. Iulianus Apostata; qui dum se *Cruce* signat, Dæmones, quos euocarat, fugat; quemadmodum Oratione in eundem scribit Nazianzenus. His addimus, quod vtrisque plus ad propositam disputationem facit, vt in Anastasio Imperatore refert Glycas, parte 4. Erat, inquit, his temporibus Rex Persarum *Coresades*, qui cum in castello quodam gemmas magni pretij didicisset, ac quæuis potiretur, ab incolis loci genijs, impediretur, omni genere præstigia-

rum usus est. Nam & Iudæos, & quosvis alios accersitos adhibebat: neque tamen illorum quisquam aliquid efficere potuit. Tandem Antistes eius loci, solo Crucis signo expulit. Hæc Glycas. Quocirca optimè Paulinus Natali octavo S. Felicis.

Nos Crucis inuicta signum, & confessio munit.
 Armatisq; Deo mentem, non querimus arma
 Corporis: & quamquam membris videamur inermes,
 Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
 Contra Incorporeos animi decernimus Hostes.

Eodem quoq; modo de Dæmonum ingenio loquuntur Aduersarij, & Catholici. Volunt illi Dæmones hic nequiter agere, & fuga ad superstitiosum honorem Crucis mortales inuitare. Afferunt hi ex Cru. u odio & detestatione fugere. Nos quamuis de hoc aliàs aliqua; hîc tamen pro Catholicorum opinione pauca, ex iam allatis exemplis argumenta addemus, tum nostris prosequemur.

Et principio quidem eos, qui exempla literis consignata posteritati tradiderunt, in illa sententia non fuisse, vt putarent Dæmones fuga ad Crucis cultum superstitiosum allicere, certum est. Res gestas ita narrant, vt significant, & tortos esse Dæmones, & Crucem fugisse coactos.

Deinde, qui Cruce contra Dæmones sunt vsi, id de ingenio Dæmonum nec suspicati sunt, nec suspicari potuerunt. An putarunt hostem pelli rebus hosti gratissimis? aut ad Dæmones pellendos, animo non pellendi accesserunt? Omnino, quis prodigiosos effectus Crucis, priorum, & suorum temporum exemplis deprehenderunt; eandem ad Dæmones vi pellendos valere, credere & potuerunt, & debuerunt.

An in eadem cum Aduersariis sententia fuerunt, qui nos præcesserunt, & vel hæc ad Crucis signationem fieri viderunt, vel facta audierunt? Vix de vilo hoc legimus; de pluribus verò, quod ad Dæmones profligandos Crucem valere crediderint.

Quid quod omnium hæc fuerit sententia? omnes hanc Crucis virtutem agnouerint? Posset hoc aliunde doceri, sed vnus Apostata Iuliani suffecerit exemplum. Ille ex vsu atque consuetudine, quæ apud Christianos vigeat receptissima; Cruce se aduersus Dæmones muniens, conseruatus est.

Hæc cum ita sint, cum pro se Catholici habeant tot, & tam varia exempla: cum sequantur eorum, qui Cruce Dæmones

profligârunt; eorum, qui profligatos viderunt & audierunt; eorum, qui hæc posteritati tradiderunt sententiâ; cum sequantur totam antiquitatem, damnari iuste possunt? argui superstitiõis? Idololatriæ? præsertim, quando diuinis literis edocti sunt, vt *Maiores suos audiant & sequantur?* Deut. 4.

11. Sed hæc ex hominum opinione argumenta desumpta sunt. Ita est. Nulla igitur sunt? Non ita est. Ex rebus ipsis deprompta hinc non desiderantur. Primum, tam variorum hominum opinio plurimum valet. *Quod enim vniuersa tenet Ecclesia, & vt B. Augustinus loquitur (lib. 4. contra Donatistas, cap. 24.) omnibus retro seruatum est temporibus, non pro hominum tantum opinione bonum est minimeq; detestandum; sed reuera quoq; bonum est, & nullo modo damnandum.*
12. Præterea, quando ad Crucem, à Iuliano factam, euauit Dæmon, annon Crucis vim sensit? Aut rursus ad honorandam Crucem voluit inuitare perditum Apostatam; quem à Crucis honore semel auocauit? Voluit persuadere, vt Christianus fieret; quem antea ad deserenda Christianorum castra, cum spe maximi lucri, induxerat? quid potest fingi ineptius, dici absurdius? Si vnquam fugam dissimulauerunt Dæmones, ad effectam Crucem: profectò, cum se signo Crucis Apostata signauit, fugam dissimulare non debuerunt.
13. Iosephus, Iudæus adhuc, Crucis vim obseruauit, in Dæmonum eiectione; quando mox ad Crucem ab ipso productam obsessos relinquebant impostores; hacq; re commotus ille animum ad Christianam religionem adiecit. An fortè, vt Christianus fieret Iosephus, ad laborarunt Dæmones?
14. Cùm Coades, Persarum Rex, cuius iam meminimus, Spe gemmarum consequendarum, omnis generis superstitiones, aduersus infestos Dæmones admisisset; quifit, vt ad solam Crucem factam omnis Dæmonum vis abacta sit? An superstitiones non fuerunt, quibus frustra Dæmones tentarunt Gentiles, atque Iudæi? & sola fuit superstitiosa Crux ab Antistite facta? Cui hoc, vel per somnium venit in mentem? Aut superstitiosi non fuerunt Iudæi, atque Gentiles; aut omni superstitionis suspicione caret Antistes cum Cruce.
15. Si in sola Dæmonum fuga Crux vires suas demonstrasset; fortitã vis Crucis posset esse suspecta: iam verò tam sunt multa, tam sunt varia, tam sunt magna, per Crucem perpetrata; vt vel ex iis virtutem eius in Dæmonum eiectione omnino oporteat astruere.
16. Sed ex Cruce, Crucis vim contra Dæmones cognoscamus. Crux signum

signum est rerum Dæmonibus maximè exosarum. Quas igitur res exosas Spiritus Nequam habent, & detestantur; earum signis gaudent? afficiuntur? recreantur? Et rebus, & rerum signis cruciantur Dæmones.

Dubium non est, quin odio persequantur Nequam *illa*, quæ magno in honore habet Deus. Contrariorum enim sunt ingeniorum; contrariorum studiorum. Quanti verò *Crucem* facit Dominus! In summo illo & supremo die; in summo suo triumpho; quâdo venturus est *cum potestate magna & maiestate*, *Crucem* vult esse præcipuum, & illustrissimum inligne. Matth. 24. Num igitur non possunt detestari *Crucem* Diaboli? 17.

Dubium non est, implacabili odio Dæmones detestari *Deum* 18.
Opt. Max. Dubium nullum, quin quæ Dei honorem promouent, abominentur, quantum verò promouet *Cruce*? *Cruce*, in qua Christianis *gloriandum* censet Apostolus? Galat. 6.

Omitto mortales ex *Cruce* occasionem sumere *bonorum* multorum; quæ ipsi faciunt; & detestantur verò Dæmones: sumere occasionem multorum *malorum*, quæ ipsi fugiunt, & desiderant verò Dæmones an hoc ipso, quo ad *Crucem* fuga sua alliciunt Dæmones *suadent bona*? *dissuadent mala*? 19.

Denique, ipsam *in se Cruce* inspiciamus, quidnam in ea superstitiosum esse possit, inuestigemus. Duo in ipsa sunt, motus quidam manu in aere factus, & expectatio fugæ Dæmonum. Vtrum horum superstitiosum? Prius illud, an posterius? Prius res naturalis est: alterum officium pietatis aut charitatis. 20.

Fortè nec hoc, nec illud damnatur; sed quod fuga Dæmonum ex *tali* manus motu expectetur. Cur hoc? an quia effectus Spiritalis, & quasi diuinus, à re speratur corporea; quæ cum illa affinitatem habet nullam? Verùm simile quid in sacramentorum vsu obseruamus, quæ tamen ad superstitionem reuocare extremæ esset dementiæ. 21.

Dicitur forsitan Sacramenta diuinam habere institutionem. 22.
Quid si eadem niti dicamus *Crucem*? quomodo quod asseretur, refutabitur? Si Scripturæ postulantur; postulabuntur eadem pro sacramentis; quæ cum hîc in quibusdam desiderentur; vel illorum autoritas eleuabitur, vel *Cruce* non idcirco reiicietur, quod pro se diserta non habeat Scripturarum testimonia.

Sed nec necesse est omnia diuinam habeant institutionem, 23.
quæ ad Spirituales effectus producendos vsurpantur, & corporea sunt. Ab Apostolis Apostolicisque viris quædam probata & vsurpata esse

pata esse potuerunt; quædam à primitiua Ecclesia recepta; quæ vel hoc nomine non damnari, sed probari; non contemni, sed in honore haberi debent. *Quid si ex horum genere sit ipsa Crux?*

24. Omnino verò rem ita se habere, sequentibus docemus; & cō breuius, quò magis ad finem properat oratio.

25. Primum hic pro nobis est antiquissimus Scriptor Tertullianus, qui, libro de Corona militis, *Traditiones Apostolicas* enumerans: *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum: ad omnem aditum & exitum: ad vestitum & calceatum: ad lauachra: ad mensas: ad lumina: ad cubicula: ad sedilia: quacumq; nos conuersatio exercet, frontē Crucis signaculo terimus.*

26. Secundò, seruit *Regula Beatissimi Augustini*, qua libro 4. contra Donatistas capite 24. id censet *Apostolicam habere traditionem*, & institutionem, quod in vniuersa Ecclesia, & omnibus retrò temporibus seruatum est: quamuis ipsum etiam tale sit, vt ab Ecclesia potuerit institui. *Quid verò? Annon in vniuersa Christi Ecclesia omnibus retrò temporibus fuit vsus Crucis?*

27. Tertio, valet hic *Regula*, qua vsi sunt Irenæus, atque Tertullianus. ille libro 3. capite 3. hic libro de Præscriptionibus Hæreticorum. Vbi docent ex *Apostolica descendere Traditione*, quod pro tali habetur in ijs Ecclesijs, vbi est integra & cōtinuata successio ab Apostolis. An in nostris Ecclesijs illa non est? an pro Apostolica traditione à nobis non habetur *Crucis vsus?*

28. Addimus, pro his, quartum pro nostra causa argumentum, quod communi Ecclesiæ *Doctorum consensu*, vsus *Crucis* pro Apostolica Traditione habeatur. An hic errare potest aut fallere? Si potest, nonne necesse est totam Ecclesiam errare? vt quæ Doctores suos atq; Magistros, non possit non sequi?

29. Constitutum igitur sit *Crucem ad Dæmones profligandos & proscribendos valere*. Sed *quæ Crux? & quomodo?* Hoc definiamus, & capiti finem imponamus.

30. Primum verò, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, haud obscure cognoscitur, illam *Crucem intelligimus*, quam manu in aëre formamus: illam, quam *Transseuntem* vocauimus. Alia veruntamen est, quæ in Imaginū constituitur genere, & *Permanens*, siue *Constans* dicitur: & vel in plano pingitur, vel in solida aliqua materia effingitur; quæ ad Dæmones pellendos valere, quamuis exemplis probari nō possit; ratione tamen non minus certum est, quàm illa Dæmones pel-
li, quæ manu formatur.

Cū enim

Cum enim *Crucem* detestentur *Dæmones*; quidni hanc *Con-* 31. |
stantem detestarentur, quæ & *Crucis* nomen habet, & non minores,
 quam *Transiens* illa, & in aëre formata, vires habet?

Quid, quod hæc plus contra *Dæmones* seruire posse videatur? 32.
 Etenim cum ad *Crucis* conspectum *Dæmones* fugam capiant; illa
Crux hinc melius seruit, quæ perseverat; quam quæ mox, post-
 quam manu facta est, evanescit: propterea, quod hac pulsæ, mox
 possint redire, illa ita pelli videatur, ut reditus omnino sit prohi-
 bitus.

Hoc attendisse videntur *Maiores nostri*; cum olim profanis 33.
Idolorum delubris, quæ *Dæmonum* erant domicilia, destructis,
 mox *Crucis* vexillum erexerunt. Hoc, qui *Maiores* hodie in *Indiis*
 æmulantur. Neque enim *Cruce* *Christi* erecta, tantum voluerunt
 reuocari ad memoriam *Christi*, quos pertulit, cruciatus & passio-
 nem; aut significare loca illa, quibus *Crux* erecta, *Christo* seruire;
 verum etiam hoc signo ad ipsa, *Dæmonibus* omnem accedendi
 aditum prohibere.

Fortè etiam hinc profecta *Catholicorum* consuetudo, ut in 34.
 ædibus, *Crucis* *Christi*, atque *Crucifixi* habeant *Imagines*. Cum e-
 nim ædes à *Dæmonum* infestatione cuperent esse liberas: *Crucis*
 autem atque *Crucifixi* *Imagines* scirent ipsis esse exosas; hoc ipso
 existimauerunt *dæmonibus* ædes suas interdictas, quo *Crucis*, *Cruc-*
*ifixi*que; essent instructæ & ornatae *Imaginibus*.

Optandum esset, ut quæ *Maiorum* nostrorum in hac re fuit 35.
 pietas; eadem nostris vigeret temporibus. Nunc proscriptis ex
 domibus *Christi*, *Sanctorum*que *Imaginibus* & insignibus; cum
Veneris atque *Priapi*; aliisque scædis & profanis splendeant om-
 nia, nonne *Dæmonibus* aditum ad ædes atque domicilia nostra
 patefacimus?

Patefacere ostendit exemplum puellæ; quæ cum in balneis *Ve-* 36.
neris imaginem fuisset impudentius intuita, & ad eandem se com-
 posuisset; mox à *Dæmonibus* obsessa est. ut habet grauissimus *Author*
Prosper Aquitanicus, lib. 6. de *Promissionibus*.

Quemadmodum non decet in familia audire sermonem las- 37.
 ciuū: ita nec tabulas haberi conuenit impudicas. Loquax res est pi-
 stura tacita, & sensim irrepit in animos hominū. Lingua loquitur
 auribus,

auribus, pictura oculis; multoquæ loquacior est pictura, quàm oratio, &c.

*Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm qua sunt oculis subiecta fidelibus; & qua
Ipse sibi tradit Spectator.*

Aristoteles adeo putat picturas, statuasque lasciuas ad morum corruptelam facere, ut velit per Magistratum publicis legibus caueri, ne quid Imaginum sit in ciuitate, quod admoneat turpitudinis.

38. Quocirca bene Canon 100. sextæ in Trullo. *Oculi tui recta afficiant, & omni custodia serua cor tuum, iubet Sapientia. Corporis enim sensus sua facile in animum effundunt. Picturas ergo, qua oculos perstringunt, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum mouent incendia, nullo modo deinceps imprimi iubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, deponatur.* Bene quoque Clemens Alexandrinus, postquam Paganos reprehendit, quod in cubili decumbentes Venerem nudam respiciant in tabellis depictis: habeant quoque Paniscos & nudas puellas, & ebrios Satyros, &c. tandem concludit: *Horum non solum usus, sed etiam aspectus & auditus deponendam esse memoriam, vobis annunciamus.*

39. Intellexerunt hæc Græci: de quibus scribit V Vilhelmus Durantus, Mimarensis Episcopus, lib. 1. cap. 3. Rationalis diuinorum Officiorum, quod Imagines solum ab vmbelico supra, & non inferius pingant; ut omnis stultæ cogitationis occasio esset sublata.

40. Sed quomodo Crux Dæmones fugat? Respondemus breuiter. Aliter fugat illa *Transiens*, aliter *Permanentis*. Illa, ut obiectum, atque efficiens; hæc, ut obiectum tantum. breuiter hoc, sed obscure. Explicandum igitur.

41. Constanti atque *Permanenti Cruci* non aliqua vis inest; ut in præsentibus Dæmones agat; quemadmodum sius inest calor igni, quo calefacit circumstantem aërem. Hoc ipso fugare dicitur, quod illam ferre Dæmones nequeant, illam detestentur, odio prosequantur.

42. Idem odium efficit, ut fugiant *Transcuntem*. Nam & ipsa Crux est. Veruntamen hoc maior illis vis infertur: quod ad odium, quo per se *Crucem* fugiunt Spiritus, accedat imperium, in virtute; & cum virtute *Crucis*, discessum imperantium, atque ipsos cedere cogentium: ut hic cum *Cruce* etiam homines agant in Dæmones; ibi ipsa per se in eosdem agat *Crux*.

CAP.

CAP. LXIX.

De Rebus consecratis: quibus sine ulla superstitionis crimine, docetur Catholicos uti, ad loca à Dæmonum infestatione & molestia purganda: docetur item, quæ res hic præcipuum locum obtineant: & quomodo hæc præstent aperitur.

DE Rebus consecratis multa satis in illa, de Dæmoniacis, Disputatione. Omnia nobis in præsentī negotio seruiūt, alia directè; alia indirectè. Indirectè illa, quibus demonstratum est res illas valuisse ad morbos pellendos; catenas dissoluendas; abigendas locustas; intumescētis maris fluctus frangendos; aliaq; his similia: directè verò, quæ docuerunt iisdem vim Dæmonibus esse allatam.

Et hoc quidem egregiè præstant, quæ pro Dæmonum ex humanis corporibus eiectione dicta sunt; sed maximè exempla, quibus eosdem locis pulsos, & in fugam conuersos docuimus: exempla, inquam, Sicæonum Archimandritæ Theodori; qui benedictæ aquæ aspersione, domum à Dæmonum infestatione liberauit: & Sacerdotum, qui ex Moguntinēsi agrò Dæmonium, quod iam tribus annis magnas attulerat molestias, eadem lustrali aqua profligarunt.

Poterant hæc satis esse pro præsentī argumento. quia tamēn hic etiam quædam difficultatem habent; illa non prætereunda; sed discutienda existimamus. In his primum est; An hic Dæmones fugam simulent; an potius cogantur *Rebus consecratis*, ut inuiti, discedant. Alterum est; Quænam *Res consecrata*, maximè ad Dæmones locis proscribendos valeant. Tertium, Quomodo illæ Spiritus in fugam conuertant; an vno atque eodem omnes; & rursus eodem, quo Crux atq; Reliquiæ, de quibus præcedentibus Capitibus.

De primo illo sic statuimus: *Dæmones non hic fugam simulare, & ad superstitionem fuga inuitare*, sed *Rebus sacris*, inuitos pelli, & in fugam conuerti. Docemus duabus ratioibus. Prima sumitur ex rebus, quæ vsu Rerum consecratarum sunt perfectæ; altera ex modo, quo res consecrantur.

Prima sic formamus Non minus est verisimile, *Rebus consecratis*, verè, & non tantum, pro Dæmonum voluntate, Dæmones locis

Gg

proscribi

proscribi, & in fugam conuerti; quàm iisdem, & non pro Dæmonum voluntate, res aliquas præclaras, & vires naturæ superantes, esse perfectas: Sed aliæ multæ præclaræ res, *Rebus consecratis* perfectæ sunt, quæ pro Dæmonum voluntate fieri non potuerunt; Non igitur, pro sua voluntate, Res sacras fugiunt; sed inuiti in fugam conuertuntur Dæmones.

6. Tria hæc, tanquam certa, constituimus. quartum ex his, pro nostra sententia inferimus. Ponimus res magnas vsu rerum *consecratarum* esse perfectas. Ponimus illas nec Dæmonum opera, nec pro Dæmonum voluntate esse perfectas. Ponimus non aliam esse rationem fugæ Dæmonum, & operum, quæ Rerum consecratarum vsu sunt perfecta. Ex omnibus concludimus, Dæmonibus vim Rebus consecratis afferrî, dum fugiunt; & à locorum infestatione desistunt. Docemus singula.

7. *Primum probant innumera propemodum*, aliàs à nobis allata, qualia sunt, quod *oleo consecrato* plurimis infirmis sanitatem restituerit Sanctissimus Hilarion, vt in eius vita refert B. Hieronymus; quod *consecrato sale* idem præstiterit S. Monegundis, teste Gregorio Turonensi, in eius vita; quod *lustrali aqua* Aphrates quidam, cuius Theodoretus vitam, resque gestas describit, innumerabilium locustarum multitudinem abegerit; fregerit *eadem* intumescentes maris fluctus S. Germanus, quemadmodum Venerabilis Beda testatur, lib. 1. cap. 17. historiæ Angelicæ; & catenas, quibus quidam constricti tenebantur, dissoluerit Euernoldus, Ratenburgensis Episcopus, vt scribit Krantius lib. 5. Vandaliæ: & tantum non mortuum pristinae sanitati restituerit B. Chrysostomus, teste Metaphraste 13. Nouembris, &c.

8. *Quod verò hæc pro voluntate Dæmonum, eorumque opera facta sint*, quis dixerit? Ea est ratio miraculorum, vt viribus Dæmonum nulla ratione fieri possint. Vel Dæmonum igitur opera hæc non sunt; vel miracula non sunt.

9. *Miracula forsitan Dæmonum opera fieri possunt?* Non possunt. Hic Theologorum omnium sensus est, & consensus. Naturæ vires illa superant. naturali igitur virtute, qua sola instructi sunt Dæmones, fieri nequeunt.

10. *Miracula fortè non sunt, quæ recensuimus? Quidni essent?* Totius antiquitatis opinione; totius Ecclesiæ sententia, pro miraculis habita sunt. Et non nisi diuina virtute illorum pleraque (ne omnia dicam) fieri potuerunt; Illa igitur, si non omnia, miraculorum loco habenda.

Possit

Possint Dæmones locustas abigere: possint intumescentes maris fluctus frangere: possint catenas dissoluere: An possunt cæcis restituere visum? ad vitam reuocare mortuos? mox pristinae sanitati restituere ægros? Non sit in terris potestas, quæ cum ipsorum conferri queat; tanta tamen non est, ut omnia, quæ usu *Rerum consecratarum* perfecta sunt, possint.

11.

Cum igitur hæc Rebus consecratis perfecta sint; similiaque fiant quotidie, cur negatur earundem *Rerum* virtute fugari Dæmones? An non in eodem prodigiorum genere (quod tertio loco probandum est) sunt omnia? an maius opus, Dæmonum proscriptio; quam aut vinculorum disrumpio, aut mirabilium morborum curatio? aut mortuorum ad vitam reuocatio?

12.

Maius opus non est Dæmonum profligatio. multo illa sunt maiora. Et siue maius sit, siue minus; in eodem certè cum illis genere est. Quemadmodum illa naturalibus rerum viribus non perficiuntur; ita nec Dæmonum proscriptio.

13.

Profectò, quemadmodum amens necesse est sit, qui dum prodigia hæc usu *Rerum consecratarum* fieri videt, non agnoscit *Rerum consecratarum* virtutem; ita potest non esse amens, qui cum illa virtuti *Rerum consecratarum* tribuit, solam Dæmonum proscriptionem excipit, & ad hanc nihil credit valere *Res consecratas*; quæ tamen, ut ad hunc finem valeant, singulari studio benedicuntur & consecrantur.

14.

Hæc pro primo argumento. *Secundum sic constituimus.* Nullus potest, aut debet superstitiosum existimare, si quod à Deo petitur, obtineatur, & effectum suum consequatur: At à Deo petitur, ut *Res consecratas* valere velit ad Dæmones profligandos; Non igitur superstitiosum existimare Dæmones *Rebus consecratis* proscribi.

15.

Hic dubium non est, peti à Deo, ut *Res*, quas in usum generis humani condidit, velit valere ad profligandos Dæmones. Quid habet aliud orationis forma, qua benedicuntur? *Oramus*, inquit sacerdos, (in consecratione salis & aquæ) *ut creatura tua mysterijs tuis seruiens; ad abigendos Dæmones, morbosque pellendos, diuina gratie sumat effectum.* Et, in consecratione Agnorum Dei, *Ut à te benedicti, virtutem accipiant, contra omnia diabolica tentamenta, &c.*

16.

Dubium item non est, effectus, quos ad *Res sacras* fieri oratione à Deo contendimus, ad *Rerum ipsarum* usum plerumque consequi. Adhibetur aqua non consecrata infirmis; & nõ sequitur sanitas: adhibetur

17.

Dæmonibus; mouentur nihil. Adhibetur eadem, oratione Sacerdotis, *benedicta* iisdem infirmis; & sequitur sanitas. adhibetur Dæmonibus; & rugiunt, magnisque clamoribus editis, in fugam conuertuntur.

18. An verò potest superstitiosum esse, vel credere *Rebus consecratis* hæc fieri? vel ad hos effectus producendos *res consecratis* adhiberi? Cui vel per somnium hoc in mentem venire potest? Quoniam cum rogatus est Deus, vt *Res consecratis* velit valere ad Dæmones profligandos, quando iam consecratis Dæmones proscribuntur; omnino credendum est, & Deum velle ipsas ad hoc valere, & nullum peccatum esse, credere valere.

19. Nec vlla hic superstitionis suspicio potuit in mentem venire Catholicis, dum in hunc finem *Res consecratis*, quoniam *Res sensibiles*, etiam ad effectus spirituales, atque supernaturales valere posse, sacrarum literarum autoritate instituti nouerunt. Sciebant in veteri lege *aquam à sacerdotibus maledictam* prodere, miris modis, crimen adulterii. Hoc à Deo Iudæorum gens instituta obseruabat. Numer. 5. Sciebant in noua reperiri *piscinam*, quæ ab Angelo mota, sanitatem pristinam, primum ipsam ingredienti restituebat. Ioan. 5. Sciebant *radicem à Salomone monstratam* valuisse ad expellendos ab obsessis corporibus, Dæmones. Sciebant ad idè valuisse *fumum à piscis iecore excitatum*: quod ab Angelo didicerat Tobias. Tob. 6.

20. Promisit Deus discipulis suis; quod, *si quid in nomine eius peterent, voti fierent compotes*. Ioan. 16. Ponamus nullam promissionem factam discipulis; rogauerint ipsi Dominum; vt si quid in Christi nomine peterent, consequerentur. An si postea in Christi nomine quid petiuissent, & obtinuissent; fuissent superstitiosi? Fuissent superstitiosi, si credidissent preces, in nomine Christi factas, esse efficaces? postquam etiam earum efficaciam rebus ipsis essent experti? Annon simile est, quod de *Rebus consecratis* credimus?

21. Similius est, quod de Gedeone legimus; iudicum 6. Huic occupato in excutiendo frumenta, apparuit Angelus, libertatem populo Iudaico promittens, *se hæc futuram*. Ille de promissione fieri certior petit sacrificio, Angelo offerendo quæritur, An postquæ quod oratione optabat fieri, consecutus est, peccauit, vel quando credidit per se victoriam obtinendam; vel quando victoriam obtinuit? Quis peccasse dicet?

22. Magis ad rem facit, quod addimus. Piscina fuit Hierosolymis, quæ sanitatem primum ipsam ingredientibus præstabat, eo quo

quo ipsam angelus mouisset, tempore. ponamus ita esse, vt hanc virtutem aliorum oratione obtinuerit (neq; enim hoc impossibile) querimus nunc, vtrum criminis rei fuissent, qui vel credidissent sanitatem hoc se baptismo consecuturos, vel ad sanitatem obtinendam aquas fuissent ingressi? Quod peccatum? Et in *Rebus consecratis* peccatum.

Addimus quartum, quod proximè accedit ad *Res consecratas*. 23.
Salomon monstrasse dicitur radicem, quæ naribus obsessorum admota, quoduis Dæmonium pellebat. Ponamus Regem hoc à Deo obtinuisse. Neque enim virtus illa radici inesse potuit. Quid inde? Omnesné, qui vel radice postea vsi sunt, vel vsum radicis crediderunt esse licitum, fuerunt superstitiosi? Quis credet? Et superstitiosi sumus Catholici, dum *Rebus consecratis* vtimur, & vtendum censemus?

Non potest non omne peccatum in Deum redundare, si quod 24.
à Catholicis hic committitur: siue credant *Rebus consecratis* Dæmones pellic; siue iisdem Dæmones pellant. Ipsi omnino extra omnem sunt culpam. Omnis, quæ hic est, Dei est. Quid ita? quia antequam *Res consecratæ* essent, iis vti noluerunt, quod non ignorarent talem vim rebus naturalibus non inesse: postquam consecratæ fuerunt, & vt ad Dæmones profligandos valerent, à Deo petiuerunt, vsi sunt: quid potuerunt aliud concludere, quàm orationem suam apud Deum locum habuisse? placere Deo, vt contra Dæmones *consecratis Rebus* vtantur? placere, quod hanc de *Rebus consecratis* habeant opinionem?

Fortè dicitur, orationem ipsorum apud Deum locum habere, Deumque esse, qui per se ad ipsorum preces Dæmonibus discessum imperat, nihil ad hoc conferentibus *Rebus consecratis*. At dici hoc non debet. Omnino enim, si sine crimine, de *rebus consecratis*, quod sentiunt, sentire nequeunt: omnino si *rebus consecratis* quod faciunt, facere nequeunt; omnino, inquam, oportet Deum ipsorum desiderio non satisfacere. Quare? quia cum per *res consecratas* illa sibi tribui postulauerint; aliter, quam per ipsas fieri, non possunt non sibi persuadere. 25.

Fortè dicitur, hic, vt alias, aliquando, malorum desiderio 26.
Deum facere satis; & mala permittere petentibus mala. At quis vnquam, quod vniuersa Ecclesia postulat, peccatum dixerit? Quando etiam Deus prauo alicuius communitatis desiderio satisfacit? Sed & quando prauis quorundam desideriis satisfacit; non ita satisfacit; vt ipsos ad peccandum inducat, in peccato confirmet, ad

peccatum promoueat; quæ tamen hic necesse est confiteamur, si malo nostro voto, in profligatione Dæmonum, ad *Rerum consecratarum* usum satisfecit *Hactenus de primo*. Nunc, quæ res ad Dæmones profligandos faciant, videamus.

27. *Rerum consecratarum genera sunt varia, sed ad tria prima reuocari possunt videntur. Quædam ad cultum diuinum pertinent, & ad hunc finem consecrantur; quædam usum habent in Sacramentorum administratione: quædam vsibus hominum extra Sacramentorum administrationem deseruiunt.*
28. *Posteriores hæ duplicis generis sunt. Aliæ pro hominum incolumitate, & ad pellendos morbos consecrantur: aliæ, vt aduersus Nequam spiritus sint arma, atque præsidia. Hæ rursus, vel arcent spiritus, ne accedant & molesti sint; vel ipsos inde, vbi sunt & molestiam pariunt, abigunt.*
29. *Hæc Rerum consecratarum genera, sed quæ ad Dæmones proscribendos faciunt? Respondeo, Omnes Damonibus exosæ esse: alias tamen alijs magis: quam obrem alijs, præ alijs, contra Dæmones confligendum.*
30. *Exosæ sunt, quæ ad diuinum pertinent cultum. Primùm hoc nomine, quod consecratæ sunt. Rerum sacrarum hostes sunt Dæmones. Deinde quod harum vsus ipsis seruire non possit; qui ante consecrationem ipsis liber esse potuit. Tertio quod diuini honoris iis perficitur; cuius non minores, quam ipsius Dei sunt aduersarij.*
31. *Exosæ sunt, quarum vsus est in Sacramentis, ob easdem causas; veruntamen non solas. Hoc etiam nomine displicent, quod instrumenta quædam sint, & pharmaca; quibus celestis Samaritanus vulneribus mortalium medetur, animarumque salutem (quam impedire semper desiderant Dæmones) promouet.*
32. *Exosæ sunt illæ tertij generis, quas petimus à Deo prodesse nobis, ad incolumitatem & morbos pellendos. Quia præterquam, quod consecratæ sint, & dæmonibus subtractæ, etiam suos effectus sæpissimè consequuntur; quos quia ægrè conspiciunt Dæmones; merito causas detestantur, & execrantur à quibus illi proficiscuntur.*
33. *Postremæ denique non possunt non exosæ esse. Cùm enim in hunc finem consecratæ sint, vt aduersus Dæmones arma sint, possuntne Dæmonibus esse gratæ.*
34. *Quin verò, quia hoc sine consecrantur, his maximè in lucta, contra Dæmones, vtendum censemus; non similiter reliquis. Hæ proprium suum hic videntur habere usum; reliquæ non item.*
vt ob

vt ob id non tantum in his, quàm illis, præsidij ponendum sit.

Et inter has præferendas existimamus, in præsentē negotio, 35.
 illas; quibus, vt Dæmones iis, quibus locis degunt, discedant, rogatus est Deus. Ex quarum genere sunt *Aqua benedicta*, atque *Cereus*, qui Purificatæ virginis Matris festo consecrati solet. Has maximè in hac, contra Nequam Spiritus pugna, seruire docent formæ, quibus consecrantur. Cùm consecratur Aqua, rogatur Deus, vt Elemento huic, virtutem suæ benedictionis velit infundere; vt creatura mysterijs eius seruiens, ad abigendos Dæmones, diuinæ gratiæ sumat effectum; vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc vnda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: Non illic resideat Spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est quod aut incolumitati inhabitantium inuidet, aut quieti; asperzione huius Aqua effugiat: vt salubritas per sui nominis inuocationem expedita, ab omnibus impugnationibus sit defensa. In benedictione autem Cerei petitur; vt per Cereæ sanctificationem, Dominus conterat Diabolum, & disperdat de cunctis habitationibus colentium Deum: de basilicis de domibus; de angulis, de refectorijs, de lectulis, de vniuersis locis, in quibuscunque Deo famulantes habitant. & requiescunt; dormiunt, vigilat, ambulat & consistunt. Nec audeat ille malignus Spiritus inquietare amplius, vel pauorem immittere, super eos quos Sancti Chrismatis sui vnctione fecit esse munitos. Ita libri Rituales.

Hinc fuit, vt harum Rerum frequentissimus vsus sit apud Catholicos, iis locis atq; temporibus, quibus plerunque Dæmones molesti esse solent. apud morti vicinos; vbi tempestates excitantur: vbi Spectra locis sunt infesta. &c. 36.

Sed ad modum veniamus, quo Res consecrata contra Dæmones valere existimantur. Hic primum quæritur, Eodemne valeant, quo Crux atque Reliquiæ, de quibus præcedentibus Capitibus? an alio aliquo? Deinde, Vtrum ipsæ inter se, vna atque eadem ratione? 37.

Ad prius dicimus, has directè, atque per se aduersus Dæmones valere; illas non item. Non hic Reliquiarum vsus est, vt Dæmones profligant; non Crucis. sunt illæ pignora Sanctorum, quos Deus honorat: Est hæc index beneficii, nobis in ipsa comparati. At per se ad Dæmones profligandos Res consecrata institutæ sunt, consecratæ sunt. 38.

Alterius ex Rerū consecratarū distinctione pendet solutio. Sed & inter has, illæ, quas maximè seruire hic diximus (*aquam benedictam cum Cereis intelligo*) non eodè modo cōtra Dæmones valent. seruit aduersus 39.

aduersus ipsos *Aqua* tanquam instrumentum virtutis diuinæ seruiunt *Cerei*, vt instrumenta, atq; signa; quemadmodum alio loco docebatur.

40.

Et quia vtraque, vt instrumenta seruiunt; hinc si effectus suos consequi debent, vsus ipsarum necessarius est: atque ipsa *per se* propriè non sufficiunt. Quia verò *Cerei* etiam signa sunt, oportet vt ardeant, si perfectè id, cuius signa sunt, debent significare. Sed & de hoc aliàs.

CAP. LXX.

De Exorcismis, & Consecratione, atque Benedictione locorum aduersus malignantium Spirituum infestationes atque molestias.

1.



DE Exorcismo, qui ad profligandos *Dæmones* adhibetur, duo potissimum examinari possunt. Primum, An reuera ad *Dæmones*, locis suis pellendos valeat. Alterum, An quæ in ipso à Catholicis assumuntur, superstiosa sunt & pernitiola. De vtroque plurima dicta sunt in illa, de *Dæmoniis*, Disputatione, quæ quia hoc loco seruire possunt omnia, nihil hîc de *Exorcismo*. Verùm, quoniam præter Exorcismum, alia ratio est, *Dæmones* partim à locis arcendi: partim ex locis proscibendi: quæ ad Exorcismum proximè accedit, opere precium fecerimus, si vires eius inquiramus, atque ipsam ab Aduersariorum calumniis vindicemus.

2.

Illam quidam Rituales libri continent, & quinq; partibus concludunt. hæ sunt, diuini auxilii Imploratio, Psalmorum, vt vocant, Gradualium recitatio: lectio Euangelij; Thurificatio, siue incensum; & conclusio.

BENEDICTIO DOMVS NOVAE,
aut Dæmonibus infestæ.

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.

Oremus.



Dni potens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis, præ cæteris, tantam gratiam contulisti, vt quicquid in tuo nomine dignè perfectèque ab iis aga-

illis agatur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quòd modo visitaturi sumus, tu visites, & quicquid benedicturi, benedicas, & ad ea, quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentia extendas: sitque ad nostræ humilitatis ingressum & introitum Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum; & Angeli pacis ingressus, Amen.

Hic quod dānnetur nihil est. Dubium non est Sacerdotibus, præ ceteris hominibus, gratiam esse collatam. Docet B. Chrysostomus lib. de Sacerdotio, Sacerdotes Principibus atq; Regibus magis esse reuerendos. Nihil esse purpuram, nihil diadema, nihil vestes aureas; omnia hæc umbras esse, & vernis flosculis leuiora, si cum Sacerdotij dignitate conferantur.

Dubium non est credi posse, à Deo agi, quidquid in Dei nomine à Sacerdotibus digne perfectèq; agitur. Diuina id probant hæc eloquia. Non vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth. 10. Qui vos spernit, me spernit; qui vos audit, me audit. Lucæ 10. Saule, quid me persequeris? Act. 9. An experimentum quaritis eius, qui in me loquitur Christus? 2 Cor. 13. &c.

An malum fortè, quod Deum rogamus, vt visitare atque benedicere dignetur, quod nos visitamus atq; benedicimus? Si hoc facit; quod malum est, si vt faciat, rogamus? Facere verò iam dicta docent.

An malum, quod fugam poscimus Dæmonum? At dedit potestatem fugandi; docuitque fugandi modum. Aut igitur hic nullum crimen, aut non sine crimine Deus.

An malum, quod Angelorum petimus ingressum? At hunc petimus, vt Dæmonum conatibus illi obstant. Aut igitur fuga Dæmonum petenda non est; aut, vt nobiscum sint Angeli pacis, licet petere. Si, quemadmodum Psal. 33. dicitur, Deus immittit Angelos in circuitu timentium eum; & eripit eos, quod malum, si Angelorum auxilium poscimus? Si Angelis suis (Psal. 90.) mandauit de nobis, vt custodiant nos in omnibus vijs nostris, vt custodiāt in certis locis petere nō possumus? Perpetuum bellum contra malos Spiritus gerunt Angeli boni, teste Origene, super illud Christi, An putas, quia non possum, &c. vt nostri causa hoc suscipiant rogamus. Denique quantum & hic & in aliis rebus Angeli possint, nemo ignorat. Nota est Beati Augustini sententia. Vnaqueque, inquit ille (lib. 23. qq. quæst. 79. res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem

tem sibi prepositã Et (8. super Genesin ad literã cap. 24.) Angelis, inquit, Deo subditè fruentibus, & Deo beatè seruientibus, subdita est omnis corpore a creatura; omnis irrationalis vita; omnis voluntas vel infirma, vel praua ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod natura ordo poscit in omnibus, iubente illo, cui subiecta sunt omnia.

3. Displicet fortè, quòd Sanctorum meritis hæc petuntur. Verùm displicere hoc non debet. Quanta, & quot beneficia genti Iudæorum Deus contulit, propter merita Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob? An Sanctorum noui Testamenti merita cum horum non conferenda?

6. Displicet quòd benedictione diuina postulando Crucem formemus? At Crucis vsus in omnibus benedictionibus iam olim fuit receptus. Hoc signo Crucis, inquit B. Augustinus Serm. 119. de Tempore, consecratur corpus dominicum, sanctificatur fons Baptismatis: iniunguntur etiam Presbyteri & cateri gradus. Idem Tract. 118. ad finem cap. 10. Ioannis: Signum Crucis, inquit, nisi adhibeatur siue frontibus credentium siue ipsi aqua, qua regenerantur; siue oleo, qua Chrismate unguuntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Sed de Crucis signo aliàs plura.

10. Versus verò, qui Orationi preponitur, & qua Adiutorium Dei, qui fecit celum & terram petitur; nullo modo potest displicere. Tanto iustior est, quanto certius nobis constat, & sine Dei auxilio nihil nos posse; & opem Dei non defuturam omnibus eandem, in quacunque necessitate, implorantibus. Quid, quod in hunc optimè conueniat; quod de simili (Deus in adiutorium meum intende) habet Cassianus? Coll. 10. cap. 10. Ad omnem statum, inquit, ad vniuersos incursus propriè satis & competenter aptatur. Habet siquidem aduersus discrimina inuocationè Dei. habet humilitatem piæ confessionis habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam. habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperq; adstantis præsidij. Hæc Cassianus. Apud quem plura, quæ ad eius commendationem faciunt, licebit legere.

11. Quod autem Versus hic diuidatur, & priorè eius partem Sacerdos dicat, posteriorem circumstans populus, nihil ipse detrahit. Nec in nobis id debet deprehendi. Exemplum Seraphim Angelorù, in hoc sequimur, de quibus Isaias Propheta, cap. 6. quod clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. probamus institutum S. Ignatij à quo Orientalis primùm, deinde Occidentalis Ecclesia habet; quod & Psalmi & Dei laudes per Antiphonas alternatim, dicantur, teste Nicephoro, lib. 13. cap. 8. atq; hætenus de prima parte.

SECVM

Hæc tres, vt ita dicam, habet processus: quorum singuli quatuor potissimum absoluuntur actibus. recitatione quinq; Psalmorum Gradualium; oratione Dominica: Postulatione; & aquæ benedictæ, per domum, vel locū Aspersione. De quibus sic liber Ritualis. Deinde Sacerdos incipiat Psalmos Graduales, & prosequatur quinque primos; aquā benedictā aspergēdo per loca domus, quibus finitū dicitur:

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos.

Oremus.

Domum tuam, Domine, clementer ingredi, & in tuorum tibi corda fidelium perpetuam construo mansionem: & præsta vt in hac domo nulla malignorum Spirituū dominetur nequitia. Per Dominum, &c.

Deinde incipiat Psalmum. Qui cōfidunt &c. cū reliquis quatuor, & vt prius spargat domum aqua benedicta. quibus finitū dicat.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Pater noster, Et ne nos. Sed libera nos.

Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, vt huius domus sis protector, & nulla hic nequitia cōtrariæ potestatis obsistat; sed virtute Spiritus sancti, & operatione fiat tibi hic primū seruitium, & deuota libertas existat. Per Dominum nostrum, &c.

Postremum incipiat Psalmum, De profundis; & prosequatur ipsum cum aliis Gradualibus Psalmis; interimq; aspergat domum aqua benedicta, quibus completis dicat.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Pater noster. Et ne nos. Sed libera.

Domine exaudi. Dominus vobiscum,

Oremus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicatō assistis, exaudi nos, quæsumus; vt inuiolabilis huius

Hh 2

huius domus permaneat benedictio: & beneficia tuum muneris vniuersitas, quæ supplicat, mereatur. Per Christum, &c.

10. An hic aliquid superstitiosum, & Christiano homine indignum? *Psalmorum* vis magna est. *Psalmus*, ait Basilus in *Psal.* animarum est tranquillitas, arbiter ineunda pacis; cuius annutu exundantes ac tumultuaria cogitationes se contrahunt, & conquiescunt. Et post. *Psalmus* est amicitia conciliator, vnio dissidium, pacis inter hostes stabilien- da sequester. Et rursus. *Psalmus* est profligandis Dæmonibus, & depellen- dis, quoddam amuletum, Angelicæ iutela conciliator.
11. Et quamuis ad id solum valere videantur, quod postulant; dubium tamen nullū, etiam ad Dæmonum profligationem valere: vel propterea, quod Spiritu sancto dictante sint conscripti; quem, & cuius orationem non possunt non declinare, & detestari Nequam Spiritus.
12. Sed cur hi (*Graduales*) sumuntur, & non alij? Quæro ego, cur alij sumerentur; & non hi? Non dubium, quin magnis grauibusq; rationibus permota Ecclesia, hos præ reliquis, in hoc negotio elegerit: cur quindecim assumpserit: cur in tres classes distinxerit: cur quinq; in quolibet actu acceperit. Sed tamen si rationes nobis deessent; res hæc iustè damnari non posset; quoniam, vt Origenes; homilia 5. in *Numeros*: In *Ecclesiasticis*, inquit, *observationibus* sunt nonnulla huiusmodi, qua omnibus quidem facere est necesse, nec tamen ratio eorum omnibus patet. *Psalmos* sequitur repetitum *Kyrie eleyson*, *Christe eleyson*, *Kyrie eleyson*. Sed cur hac precandi vtimur formula? cur eadem repetitur? cur repetitur tertio? cur *graco* idiomate? cur in hoc negotio? cur ante orationem Dominicam?
13. Vt inur instituti exemplo B. B. Iacobi & Marci: quorum ille Sanctissimus Christi Apostolus; hic eiusdem Euangelista. Eadem enim isti in suis Liturgiis vsi leguntur. Ab his autem per totas Orientis atque Italiæ prouincias dulcis, & nimis salubris (vt loquitur Concilium Vafense sub Leo. 1. can. 3.) consuetudo intromissa est, vt frequentius *Kyrie eleyson* cum grandi affectu ac compunctione dicatur.
14. Repetitio eiusdem ab iisdem. Magni autem affectus & compunctionis argumentum est, quemadmodum Concilium insinuat. Frustra verò non fieri, & Domini in horto docet sæpius repetita oratio: & Cæcus, cuius importunam, & sæpius repetitam orationem præteriens reprehendebat turba. Lucæ 8.
15. Trinam repetitionem S. Thomas 3. p. q. 83. a. 4. putat pertinere
read

ne ad gloriam Mysterij Trinitatis. aut ad triplex malum deprecandum, ignorantiae, culpae, poenae. Amalaricus Fortunatus, lib. 4. cap. r. hanc eius dat causam. Dum imploramus, inquit, d. uinam misericordiam per Kyrie eleyson, & Christe eleyson, & iterum Kyrie eleyson: tres articulos, aliquo modo, diuinae Maiestatis & Trinitatis celebramus in Ecclesia. Primus est ante assumptam humanitatem; quando Trinitas inuocabatur sine copulatione humanae naturae. Secundus est post assumptum hominem; quando Christus uidebatur in terra, & nihil minus à suis credebatur Deus & filius Dei. Tertius articulus est ex eo tempore, quo uoluit clarificare illum assumptum hominem plus quam esset, quamdiu mortalis erat. Ita Fortunatus.

In forma Graecum idioma retinemus. quia illo recepimus. Nec malè. quoniam ut habet B. Augustinus, Epist. 278. contra Pascendum, sicut Græca lingua, quod est Omouision, una creditur uel dicitur à fidelibus Trinitatis omnino substantia: sic una rogatur, ut misereatur, à cunctis Ethnicis & barbaris unius Dei natura. ut à laudibus Dei unius nec ipsa lingua barbara sit, ut à Latinis, aliena. 16.

Sed quorsum hoc loco, ubi cum infestantibus Spiritibus nobis est bellum? Quorsum aliis omnibus propemodum, ubi diuina imploratur misericordia? Non malè olim statuit Vafense conciliū, can. 3. ut ad Matutinū, ad Missas, ad Vesperam dicatur sæpius Kyrie eleyson. Non malè modò faciunt Christiani, quando idem nunc repetunt in horis Canonicis; nunc in defunctorum Officiis; nunc in publicis priuatisq; Litanis: nunc ante atq; post cibum sumptum. Non male facit Exorcista, cum Spiritus molestantes locis est expulsiurus, Kyrie, inquit, eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Quemadmodum alibi non parua eius vis; ita nec parua speratur hoc loco. Et vim eius cum alia, tum duo exempla egregiè produnt. Notū est Theodosio Iunioris Imperante, Proculo Patriarcha cū clero, & maxima urbanæ multitudinis parte supplicantibus, puerum in aère sublatum fuisse: populo uero obstupefacto, & longo tempore uociferante Kyrie eleyson, rursus dimissum dixisse, sibi præceptum, ne in cantico ter sancto adderetur clausula: Qui crucifixus est pro nobis, ita Zonaras, & Abbas Ursperg. in Theodosio. Paulus Diaconus lib. 14. Histo. Idem Paulus libro 16. auctor est Iustiniano imperante, terræ motu concussa Antiochia, ciues qui remanserant, discalceatos omnes, Litanias fecisse clamentes Kyrie eleyson: tumq; apparuisse in visu homini Dei cultori, qui diceret, omnibus residuis significandum: super scriberent in liminaribus suis: Christus nobiscum, stete, & hoc facto iram Dei sterisse. Hæc Diaconus.

Hh 3

Opti-

18. Optimè verò *dominicæ orationi*, (vt aliàs propemodum semper) in Exorcismo proponitur. Oratione enim *dominica* summa rerum petendarum à Deo, continetur. humilium autem deo placuit semper deprecatio. a humilis animi confessio est *Kyrie eleyson*. Eo ipso igitur Dei animum nobis deuincimus, & de rebus speratis piè præsumimus, quo sapius hanc vocem ingeminamus. Quocirca & iustissimè *Kyrie eleyson* vsurpamus.

19. Ridetur fortassis, quòd *oratio dominica* dicatur: petatur, fiat voluntas Dei, regnum eius adueniat, detur panis quotidianus &c. cum omnis cogitatio nostra est de Dæmonio expellendo. At voluit Dominus vt precaturi, *dominicâ oratione* dicamus: *Cû oratis*, inquit, *dicite Pater noster*. Deinde *oratione dominica* non hæc tantum petuntur: petitur etiam, vt liberemur à malis: vt non induamur in tentationes. Deinde quamuis solum Dæmonum petatur proscriptio; tota tamen *Oratio dominica* rectè recitatur: primò, quia reuerentia, qua Deû prosequimur efficit, vt in oratione eius nihil mutatum velimus esse, nihil omissum, nihil additum. Tum deinde, quia omnes orationis partes etiam quodam modo ad depulsionem Spirituum faciunt. *Sanctificatur* melius Dei nomen; quo pauciores sunt, qui nos à bono impediunt, hostes. Facilius Dei regnum aduenit; si regnum eius apud nos non habeant Dæmones. Facimus promptius Dei voluntatem: si nullis molestemur Dei hostium insidiis. *Panis* verò *quotidiani* nomine, nonne bonum omne continetur? aut bonum non est immunitas à Dæmonum molestia? Reliqua per se clara sunt. Iustissimè verò, quemadmodum in aliis necessitatibus; ita in hac orationem *dominicam* dicimus, quod hanc plurimum apud Deum posse credamus. *Cognoscit Pater Filij verba*, inquit Chrysostomus hom. 14 in Matth. Et B. Augustinus lib. 50. Homil. hom. 42. *Spem*, inquit, *habemus obtinenda cause nostra; quando talis Iuris peritus nobis preces dictauit, qui sedet ad dexterâ Patris.*

20. An displicet *Numerus*: quod tertio oratio repetatur? At Pro distinctione Psalmorum in tres classes, ter dicitur oratio *dominica*. Deinde si oratio semel dicta bona, cur repetita mala? Christus, nonne tertio in horto ad orationem conuersus? Quid si honor sanctissimæ Trinitatis hîc sit propositus? sed & Chrysostomus Euthymius, atque Theophilactus in 26 Matthæi docent hunc numerum rei veritatem perfectionem atque constantiam solere declarare, quod sequentibus sacrarum literarum exemplis verum esse probat Maldonatus in 26. Matthæi. Vos, inquit, illud plenum *omnis generis animalium, quod Petrus vidit, ter de celo demissum est, act. 10.*

D. Paulus

D. Paulus ter Dominum se rogasse dicit, vt Spiritum Satana à se tolleret, 2 Corin. 14. Petrus Christum ter negauit: Matth. 26. Christus Petrum ter interrogauit, Diligis me plus his? Ioan. 20.

Deinde pro distinctione Psalmorum triplex subiungitur postulatio. Prima, tria petuntur à Deo. velit clementer ingredi domum: velit in cordibus fidelium constituere perpetuam mansionem: velit in domo nullam dominari Spirituum nequitiam. Omnia digna Deo, nobis utilia pulchro ordine. Digna Deo: quia delicia eius esse cum filiis hominum Pro. 8. seruantibus sermones suos promisit fore, vt cū Patre apud ipsos mansionem faciat. Ioan. 14. Et hostem idcirco vicit, ne pro libidine nobis dominetur. Quàm verò omnia hæc nobis utilia? Quàm etiam pulchro ordine? Non potest mansionem in nobis facere, nisi prius ad nos sit ingressus. An verò postquam iam ingressus, & habitationem fecit; potest nobis dominari malignorum Spirituum nequitia?

Secunda petuntur propemodum eadem: sed præterea, vt in locis, quæ benedicuntur, ipsi fiat sacrificium, & existat deuota libertas. libertas hæc mentem reuocare debet ad Deum, à quo locus ipsam obtinuit: vnde deuota dicitur seruitium, vt exhibeatur, dignissimum est, etiam locis profanis, cū vbique Dei, erga humanum genus, existant beneficia. Intelligebat hoc, qui dicebat: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Psal. 102.

Eadem complectitur ferè tertia oratio. Nec malè sapius eadem petuntur: quia efficaciter, & pluribus petendum: quod seriò expetitur. Addit hoc, quòd rogatur Deus, vt inuolabilis permaneat benedictio domus & vt mereatur vniuersitas bona, quæ postulat. Hoc petitur bonorum operum exercitiū: illo perseverantia, quia verò vtrumque bonum; vtrumque petere non mali m; sed bonum.

Vna quæ in hac parte adhibetur, displicet Aqua lustralis. hæc omnia, quæ hætenus commendauimus, corrumpit & deprauat, ita Aduersarij. Sed pro hac Aqua aliàs in illa de Dæmoniis Disputatione tam à nobis dicta sunt multa; vt pluribus opus non sit. Tertiam igitur partem accedamus

Euangelium Lucæ continet Tertia pars, non quodcunque, sed quo historia Zachæi describitur. de quo sic liber Ritualis. *Postea in Principaliori loco domus legatur sequens Euangelium.*

Dominus vobiscum.

Et cum Spiritu tuo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Gloria &c.

In illo

In illo tempore. Ingressus Iesus perambulabat Iericho, Et ecce vir nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publicanorum, & ipse diues. & quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit eum, & dixit ad illum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & si quid aliud defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: cò quod & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.

25. *Euangelium hoc, præter alios, hîc duos vsus habet. Primò, hoc confirmantur Christiani, non malas esse suas, quas ad Deum, pro immunitate domus aut loci, dirigunt orationes: tû deinde, ad Dæmonum valet profligationem. Docemus vtrumq;*

26. *Septem in vniuersum, quasi, à Deo iam dictis orationibus petita sunt. Hæc inquam, velit domum clementer ingredi: velit perpetuam in nobis constituere mansionem: pellere nequitas malignorum Spirituum: concedere hîc sibi seruitium: deus tam hîc existere libertatem: permanere suam in ea benedictionem: hæc q; contingere, etiam nostris interuenientibus meritis. Omnia hæc fieri posse, & bene fieri docet dictum de Zachæo Euangelium. ingressu videlicet Christi in domum Zachæi, quod; significet se in ea oportere manere: attulisse sua præsentia salutem: in alium virum commutatam Zachæum: & ad hæc, hisque similia valuisse Zachæi pietatem.*

27. *Ad Dæmonum verò profligationem valet, tribus de causis. Primò, quia ipsius lectione in audientium animis excitantur actus virtutum quarundam, quarum iurati hostes & aduersarij sunt Dæmones. Deinde, quia studia & pietatem orantium accendit; quando per Christi in Zachæi domum aduentum, intelligunt non Dæmonia solùm pelli, sed mirabiles quoq; fieri animorum, cum ingenti mortalium lucro, mutationes. Tertio, quia, quæ in Euangelio dicuntur,*

cuntur, partim filij Dei sunt verba, partim Spiritus sancti oracula. Possunt né Dæmones æquo animo audire eius verba; qui verbo ipsos, dum communem nobiscum vitam ageret, eiiciebat? qui in mundum venit, vt opera Dæmonum dissoluat ad cuius conspectum olim se torqueri, magnis clamoribus testabantur?

Valere ad Dæmonum eiectionem Euangelij verba, etiam inde insinuat, quod nedum sacra verba, sed & codices, & chartæ miracula ediderunt. Narrat Gregorius Turonensis, de vita Patrum, cap. 6. quod cum Auerna ciuitas incendio conflagraret, S. Gallus Ecclesiam ingressus, diutissimè ante sanctum altare Deum exorauit, surgensque apprehenso Euangeliorum codice, eoque aperto, obuiam se igni obtulerit, subitoq; incendium extinctum sit, vt ne fauillæ quidem remanerent. Sic S. Martianus, cum iam flamma serpens Ecclesiæ Sanctæ Anastasiæ appropinquaret, accepto in manus sacro Euangelio, per regulas in tectum conscendit, precibusque & lachrymis illæsam ab incendio seruauit. Ita Nicephorus lib. 5. cap. 22. Rursus Zonaras in Basilio Macedone scriptum reliquit, Rhodos libro Euangeliorum ab igne erepto illæso, fidem Christi amplexos esse. Quid pluribus opus?

Hinc non male in Constantinopolitano 8. Can. 3. Patres, Sacram, inquit, imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium Saluatoris æquo honore, cum Libro Euangeliorum Sanctorum, adorari decernimus. Sicut enim per Syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & sapientes & idiotæ cuncti ex eo, quod in promptu est perfruantur vtilitate. Quæ enim in syllabis sermo; hæc & Scriptura, quæ in coloribus prædicat & comédât.

Quarta pars Thurificatione, siue incenso perficitur, de quo sic liber Ritualis. Deinde benedicatur incensum isto modo.

Per intercessionem Michaelis Archangeli, stantis à dextris altaris incensi, & omnium Sanctorum Angelorum incensum istud digneris Domine benedicere & in odorem suauitatis accipere. Per Dominum, & c. Postea Sacerdos ponat incensum super ignem in thuribulo, & incenset domum dicendo.

V. Incensum istud à te benedictum ascendat ad te Domine.

R. Et descendat super nos misericordia tua.

V. Domine exaudi, R. Et clamor meus, & c.

Oremus.

li

Tc De.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus, pro hac domo, & pro habitatoribus eius; vt eam benedicere & sanctificare digneris: vt sint promtuarum eorum plena, eructantia ex hoc in illud: tribue etiam iis de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ subsidium; & desideria eorum ad effectum tuæ miserationis perducas; & ad introitum nostrum hanc domum benedicere & sanctificare digneris; sicut benedicere dignatus es Abraham, Isaac, & Iacob; vt inter parietes eius, & angulos eius inhabites. Per Christum, &c.

Oremus.

Visita quæsumus Domine habitationem istam; & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: & Angeli tui sancti habitent in ea; qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper: In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. & R. Amen.

31. Iustitiam *benedictionis incensi* hoc loco non probamus. Res sensibiles sine superstitione posse benedici copiosissimè probat Disputatio de Dæmoniis. An peccatum, quòd ad intercessionem B. Michaelis, & sanctorum Angelorum benedici petimus? At si malum non est nobis intercedentibus benedici, cur malum benedici intercedentibus Angelis? si verò neutrum malum est, quomodo malum est, quod vel nostra, vel Angelorum intercessione benedici postulamus? Malumne est bonum petere?

32. Sed non solum crimine vacat Incensi vsus: verum etiam ad Dæmonum valet profligationem, & quidem *quinuplici* nomine. Primò, quia rogatus est Deus (an frustra?) vt velit illud ad hoc valere. Secundò, quia incensum est in genere rerum consecratarum, quæ ex se exosa sunt Spiritibus. Tertio, quia per intercessionem S. Michaelis, atque Angelorum est consecratum; quorum ob id, huius rationem habere, & cum ipso ad Dæmonum expulsionem concurrere credendum est. Quarto, quia fumus, qui inde excitatur, in vase tali, quod ad Dæmonum profligationem valet, excitatur; vt probat oratio, qua thuribulum consecratur. Hæc ita habet. Do-

mine

mine Deus, qui dū filios Israel, in deserto murmurantes, ob rebellem suā audaciā durum vastarāt incendiū; Aaron tunc orantem arrepto de igne altaris thuribulo tibi incensum ponentem exaudire, eosq; de incendio liberare dignatus es, benedic quasumus hoc thuribulum: & prestā, vt quot.es thus in eo adolebitur, votum populi tui tibi boni odoris efficias, sitq; Fuga Dæmonum repulsio Phantasmatum, & immundarum abscēssio cogitationum. Per Christum, &c. Quintò denique, quia vtrumque signum est rerum Dæmonibus inuisarum. Thus quidem orationis sanctorum, quæ, velut thus, ad conspectum Dei, conscendunt (Psalmo 140.) Thuribulum verò corporis Christi sanctum interpretatur. Ipse enim Dominus, inquit, factus est thuribulum, ex quo Deus odorem suauitatis accepit, & propitiū factus est mundo; quia obtulit se ipsum in odorem suauitatis. Vide Innocentium III. libro 2. Mysteriorum Missæ capite 16.

39.

Oratio, quæ post benedictum incensum adhibetur, duplex est: vtraque tam iusta, quàm quæ vtraque petuntur, iusta. Nisi fortè displiceat, quod in tali loco, & non in consecrato habeatur. Sed aures Dei ad preces supplicum attentæ, quocunq; etiam loco illæ fundantur.

Conclusio breui benedictione constat: de hac ita liber Ritualis. 34.
Postea domum & omnes in ea habitantes benedicat dicens.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris ꝛ, & Filij ꝛ & Spiritus Sancti ꝛ, descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper. ꝛ.
Amen.

Hic damnari potest nihil. Christum hinc imitamur, & sanctum veteris legis Patriarcham Iacob. Ille, quando ferebatur in cælum, eleuatis manibus discipulis suis benedicebat, Marci ultimo. Hic benedictionis dandæ gratia extendens manum, dextram posuit super caput Ephraim; sinistram super caput Manasses, Genes. 49. Adde quòd Dominus populo suo benedici aliquando, sub Sacramento trine Inuocationis iubeat. Num. enim 6. sic habetur. Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis illis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem tuam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Et hætenus de benedictione. Hac vel certè simili forma vsus videtur Theodorus Archi-

35.

mandrita. qui rogatus à Theodoro, regio duce, vt domum à molestibus Spiritibus liberaret; illam dicitur ingressus, & totam noctem psallendo, & Deum obsecrando traduxisse: atque aqua, cui benedixerat aspersisse: at sic à Spirituum molestia liberasse. Vide Metaphrastem in vita Theodori, apud Surium, Fom. 2.

MODI QVIBVS LICITVM EST CONTRA
impugnationes & molestias Spirituum pur-
gandorum agere.

CAP. LXXI.

*Esse aliquam rationem atque modum, quo viuentes
possint se liberare à molestia, quam ipsis pur-
gandi Spiritus afferunt.*

1. **E**Xpositis rationibus, quibus à Dæmonum infestatione loca liberantur; proximum est, vt modos explicemus, quibus ne molesti sint hominum purgandi Spiritus, efficitur. Et breuissimè dici potest *vnun esse*: & quidem eundem cum illo, quo à molestia liberamur mendicorum, atq; pauperum, qui stipem atque eleemosynam importuniùs petunt. Quis ille? *Satisfaciat Spirituum desiderio. Quod verù desiderium? Nostra vt opera iuuentur à miseria. Quæ opera? Quæ misericordiam Spires; non quæ pietatis habeat atq; beneuolentiæ nihil.*

2. Breuibushic multa complector; & quia multa breuibus, explicanda, & comprobanda. Omnia verò vel ad conditionem pertinent Spirituum, qui molesti sunt: vel ad nostrum officium: vel ad opera, quibus ipsorum inopiæ subuenimus.

3. *Conditio Spirituum illorum insinuat esse misera; quæ aliorum auxilio indigeat, & possit subleuari. officij nostri ratio, vt ipsis subueniamus, opera, media sunt, quibus subleuantur. Primum hoc Cpaite persequemur, reliqua sequentibus.*

4. Et quidem esse quosdam Spiritus, qui hoc solùm nomine molesti sunt, vt in miseriis, quas sustinent, aliquod leuamen, accipiant, extra controuersiam est; nec hoc loco probandum. quòd verò aliorum opera iuuari possint, quis dubitabit?

5. Si iuuari non possunt; cur, vt iuuentur, molesti sunt? An fortè temeritatis arguendi atque imprudentiæ? quasi, qui tentent, quod, consequi est impossibile? At procul à purgandis Spiritibus omnis temeritas: procul imprudentia. Et vt temerè possint agere ipsi; et tamen